



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Signis Prædestinationis, Et Reprobationis, Et De  
Numero Prædestinatorum, Ac Reproborum**

**Recupito, Giulio Cesare**

**Lvgdvni, 1681**

Caput Ultimum. Duodecimum prædestinationis signum, Devotio erga  
Deiparam: Reprobationis indevotio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44272**

Suadetur, id quartò, quia ii, qui officiosi sunt erga has animas, signum habent quod in eo statu aliquando erunt, in quo eis rependi possit officium. Hoc autem rependi non potest nisi in statu salutis. Contra verò qui erga easdem animas inofficiosi sunt, & minimè affecti, signum habent quod de earum numero non erunt: neque unquam collocabuntur in statu, in quo suffragiis iuuari possint, qui alios minimè iuuuerunt suffragiis.

---

## C A P V T V L T I M V M.

*Duodecimum Prædestinationis signum, Deuotio erga  
Deiparam: reprobationis, indeuotio.*

CCXLIII. **D**uodecimum, & potissimum prædestinationis signum est affectus; & vt vocant, deuotio erga Deiparam. Ita ferè communis sensus fidelium: & probat Pelbartus in stellario lib. 2. pag. 2. cap. 1. Spinellus de B. Virgine cap. 34. num. 18. & deinceps. Binettus in libello, qui inscribitur, *Deipara tessera salutis*. Oliuerius Bonartius in Eccles. 24. Cornelius ibid. v. 13. vbi dicit à granibus Theologis doceri signum prædestinationis, & electionis diuinæ esse cultum, & devotionem affiduam erga Virginem.

Probatur primò è Scripturis. Quis, vt clarius procedamus, distinguemus in tres classes, in oracula, in figurās, in similitudines. Quod attinet ad oracula,

*Genes. 3.* Primus locus est Genes. 3. vbi Deus dæmonem serpentis figura tectum alloquens, *Inimicitias*, inquit, *ponam inter te, & mulierem: & semen tuum, & semen illius*, *Ipsa conteret caput tuum*. Quem locum explicans Cyprianus lib. 2. testimon. adu. Iud. cap. 9. mater, inquit, *Domini nostri Iesu Christi in illa muliere promissa est. Hæc inimicitias opposita est serpentis. Ponam, inquit, inimicitias inter te, & mulierem. Non dicit, pono, ne ad Euam pertinere videretur. Verbum promissionis est, quod transmittitur in futura*. Nimirum, vt ait Bernardus serm. in signum magnum, *Ipsa Virgo est quondam à Deo promissa mulier, serpentis antiqui caput virtutis pede contrituta*. Scio Septuaginta interpres verttere, *ipse conteret caput*, refrendo ad semen mulieris, quod in hebræo est masculini generis. Quam lectionem sequitur Irenæus lib. 4. contr. hæres. cap. 78. Cyprianus lib. 1. testim. cap. 9. Chrysostom. serm. 173. Leo serm. 2. de nat. & aliis. Vulgata tamen editio habet, *ipsa conteret*, &c. quam sequitur Am-

Maria est  
quæ serpen-  
tis caput  
contritura  
promissa est.  
Cyprianus.

Bernardus.

brosius lib. de fuga secul. cap. 7. August. lib. 2. de Gen. con. Manich. cap. 18. Chrysost. hom. 17. in Genes. Greg. lib. 1. moral. cap. 18. & quamplures alii. Vtraque autem lectio vera. Ideo enim *ipsa conteret*, quia, *ipse conteret*: & ideo *ipse*, quia *ipsa*. Quippe Maria per Iesum, & Iesus per Mariam: & sic utrumque verum est, *ipse conteret*: *ipsa conteret*. Ex hoc ita formo argumentum. Post latam sententiam generalem damnationis Adamo, eiusque posteris, primum liberationis, atque adeo prædestinationis signum fuit promissio Deiparæ. Ideo S. Leo. serm. 2. de nativit. *Deus, inquit, omnipotens, & clemens* <sup>S. Leo.</sup> statim ut nos diabolica malignitas veneno sua mortificauit inuidie, prædestinata renovandis mortalibus sua pietatis remedia, inter ipsa mundi primordia, designauit: denuncians serpenti futurum semen mulieris, quod noxiis capitis elationem sua virtute contereret. Ergo quod magis quis per affectionem accedit ad Virginem, qua fuit primum, & generale prædestinationis signum, eò magis habebit in ea signum suæ prædestinationis specialis.

Confirmatur primò, quia omne id, quod continet signum victoriae à dæmoni reportandæ, est simul prædestinationis signum. Sed Deipara est huiusmodi, utpote contritura caput serpentis. Ergo, &c. <sup>Rupertus.</sup> Quò facit admirabile illud relatum à Ruperto lib. 3. de Trin. cap. 20. quod si nuda mulieris planta vinavissimum caput serpentis vel leniter presserit, statim totum cum capite corpus intersabit. Ergo sub tutela & protectione Virginis victoriam nobis possumus de dæmoni ad-  
promittere, atque adeo prædestinationem, & salutem.

Confirmatur secundò, quia primum suæ prædestinationis signum, quod habuere primi parentes post peccatum, fuit Deipara. Quippe, ut notat sanctus Vincentius serm. 2. de Nativit. Virg. reuelauit *Dens* <sup>Vincentius.</sup> parentibus primis Virginem ab ipsis processuram: qua afferret maius bonum, quam ipsi perdidissent. Quare conceperunt Virginem Mariam ipsam desiderando. Ergo etiam iis, qui prædestinati sunt ex Adami posteris, affulgere debet tanquam præcipuum prædestinationis signum Deipara: quod utique sit per specialem eius venerationem, & cultum.

Secundus locus est Psalm. 44. *Vultum tuum deprecabuntur omnes* <sup>Psal. 44.</sup> *diiuites plebis.* Supra dixerat, & concupiscet Rex decorum tuum, &c. tum addit, *vultum tuum deprecabuntur*, &c. Quæ verba de B. Virginе, eiusque studiosis intelligit Gregorius 2. in epist. ad Germanum quæ habetur in 7. Syn. act. 4. vbi dicit *Sancta Dei matris faciem diuites plebis supplicare.* Athanasius serm de Deipara, vbi eam alloquens: *Ideo, inquit, vultum deprecantur omnes diuites plebis, ditati scilicet istiusmodi bonis, & spiritualibus solatiis.* Idem habet Damascenus or. 1. de Nativit. Andreas Cret. or. 2. de dorm. &c., quod caput est, ipsam Ecclesia hæc eadem verba Deiparæ applicat in missa An-

344 Duodecimum prædestinationis signum

nunciationis, & in Missa Vigiliae Assumptionis. Per divites autem plebis, viros sanctitate insignes intelligi conveniunt Interpretes: nempe, ut ait Paulus 1. ad Tim. 6. *divites bonis operibus*: & ut supra diximus ex Athanasio, *ditatis bonis spiritualibus*. Idcirco Bernardus sermone 3. super *Salve humiliter se dimittens*, *Si vultum*, inquit, *tuum deprecabuntur*, *Virgo sacra*, *divites plebis*; *quanto magis pauperes plebis*: *Et si pauperes plebis*, *multo magis ego egenus & pauper, operebrium hominum, & abjectio plebis*. Affidit igitur deprecari vultum Virginis signum est non solum prædestinationis simpliciter, sed etiam prædestinationis insignis, secundum quam prædestinatur Sancti precipui, significati per divites plebis. Hi quod devotionis studium vel ab exordio nascentis Ecclesiae exhibuerint erga Virginem, facile apparer à Templo illi adhuc viventi erecto, ac dicato Cæsaraugusta, in Hispania ab Apostolo Jacobo, ut ejus Ecclesiae fuit traditio. Hoc idem studium erga Virginem prætulit sanctus Dionysius Areopagita, ut apparel ex ejus epist. ad Paulum: sanctus Ignatius martyr, ut apparet ex ejusdem epist. ad Joannem; aliquie postea sanctitate conspiciui, de quibus Spinellus lib. de beata Virgine cap. 35.

*Psalm. 85.*

Tertius locus est Psalm. 85. *Salvum fac filium ancillæ tue. Fac mecum signum in bonum*, ut videant qui oderunt me, & confundantur. Petit David à Deo salvari, adhibens hoc motivum, quia est filius ancillæ Dei, nempe Mariæ. Nam, licet hæc ex ipsius progenie descenderit secundum carnem, ipse tamen ejus filius erat secundum spiritum: ideo dicit, *Salvum fac filium ancillæ tue*; nempe illius, quæ dixit, *Ecce ancilla Domini*, Luc. 1. Quare Augustinus in eum Psalmum, fac, inquit, *salvum filium ancillæ tue: cuius ancilla? Cui, quando nasciturus nunciatus est, respondit, & ait, Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum*. Ex hoc titulo, quo quis est per devotionem & affectum Mariæ filius, habetur salus: & fit cum eo *signum in bonum*, nempe signum prædestinationis, & ejus boni quod absolute est bonum, ut videant qui oderunt eum, nempe dæmones, & confundantur.

*Psalm. 115.* Juxta hoc idem David in Psalmum 115. *O Domine, ego servus tuus, & filius ancillæ tue*. Quem locum Ambrosius libro 5. de fide cap. 3. & Cerealis epist. I. contra Maxim. cap. 6. ita interpretantur, *filius ancillæ tue, id est filius Mariae*. Conjugitur cum affectu filiali erga Mariam Dei servitus, *Ego servus tuus, & filius ancillæ tue*. Huic promittitur prædestinatio ad regnum: ideo subditur, *Dirupisti vincula mea: tibi sacrificabò hostiam laudis*.

Quartus locus est Prov. 8. *Ego diligentes me diligo: & qui manè vigilaverit ad me, inveniet me*. Quem totum locum cum sequentibus Deiparæ applicant passim Interpretes, ut sensus litteralis primarius sit de Sapientia increata, secundarius de Deipara: cui verba ejusdem capititis aptat Ecclesia in Festo Conceptionis. Ex hoc itaque loco

*Bernardus.*

*Mariæ cul-*  
*tus ab exor-*  
*dio nascentis*  
*Ecclesiae ex-*  
*hibitus.*

*Augustin.*

*Psalm. 115.*

*CCXLIV.*  
*Proverb. 8.*  
*Maria dili-*  
*gentes se di-*  
*ligit.*

locò sic arguo. Maria diligit diligentes se. Ergo dilectio erga Mariam prædestinationis est signum: Diligi enim à Maria prædestinationis est signum. Sed diligere Mariam fert secum diligi à Maria. Ergo diligere Mariam prædestinationis est signum.

Confirmatur primò, quia hoc dupliciter potest intelligi. Primò, vt dilectio deuotorum erga Mariam sit signum & causa dilectionis Mariæ erga deuotos: & in hoc sensu certum est hos redamari à Maria. Tum quia in ea perfectissimæ sunt omnes virtutes, & sic etiam gratitudo, ad quam pertinet redamare eos qui sanctè amant: Tum quia, si Maria, vt ait Petrus Damianus sermone 1. de Nat. benignissima & omnes amat amore invincibili, quos in ea, & per eam filius eius & Deus summa dilectione dlexit, certè eos specialiter amat, à quibus specialiter amat, utpote ab exhibentibus illi obsequium speciale. Quamobrem sanctus Ignatius Martyr in epistola ad Ioan-nem de Maria loquens, humilibus, inquit, est deuota, & cum deuotis deuotior, id est cùm amantibus amantior. Amor autem Mariæ signum est & causa salutis. Ideo ipsamet dicit Cant. 8. ubera mea, ex Hebræo amores mei sicut turris: nempe ad propugnandum contra hostes. Secundò id potest intelligi, vt dilectio deuotorum erga Mariam sit signum & effectus dilectionis Mariæ erga deuotos: qui ideo diligunt Mariam, quia antecedenter diliguntur à Maria: & in hoc sensu id etiam verum est. Quippe amor Deiparæ imitatur in hoc amorem Dei; qui præuenit, & causat amorem nostrum: ideo enim diligimus Deum quia ipse prior dlexit nos, 1. Ioan. 4. Eodem modo dici potest, quod ideo diligimus Mariam, quia ipsa prior dlexit nos. Dilectio igitur deuotorum erga Mariam signum est & effectus antecedentis dilectionis Mariæ erga deuotos. Hæc autem antecedentis dilectio signum est etiam antecedentis prædestinationis, quæ omne dilectorum meritum antecedit Proinde, dum dicitur ex persona Mariæ, Ego diligenter me diligo, signum est dilectionis antecedentis ex parte Mariæ: & sic prædestinationis ex parte Dei, cui conformatur dilectio Mariæ.

Confirmatur secundo ex iis quæ ibi subduntur, vt ditem diligenter me, & thesauros eorum repleam. Dilectio Virginis est ad spiritu-aliter ditandos eam diligentes: & idèo supra dictum ex Psalmo 44. Psalm. 44. vultum tuum deprecabuntur diuites plebis. Addit autem, & thesauros eorum repleam; quia, vt ait Damianus sermone 1. de Nat. in manibus eius sunt thesauri miserationum Domini: &, vt addit Idiota in Prol. de contempl. ipsa est thesauraria gratia: vt Andreas Cretensis erat de dorm. est omnis sanctitatis sanctissimus thesaurus. Ut mirum non sit ab ea dici, vt ditem diligenter me, & thesauros eorum repleam.

Porro replet Maria sui studiosorum thesauros in omni genere, Replet thesauros scientiarum, vt præstítit Alberto, qui cùm ingenii esset



Maria sui  
studiorum  
thesauros  
omni bono  
replet.

hebetioris, scientiam, quam à Virgine postulabat: ita copiosè accepit, ut ab ejus magnitudine Magni cognomen acceperit. Ita 1. part. Chron. libro 3. cap. 45. Idem de Hermanno Benedictino refert Tri-themius libro 2. de viris illustribus sancti Benedicti cap. 4. & de Ru-perto Abate Tuisensi refert idem cap. 109. qui divinarum Scriptu-rarum scientiam ope Virginis sunt adepti. Replet thesauros conti-nentiae, quod præstítit sancto Ignatio; cui, cùm ex militia se ad Dei famulatum transferret, ac Deiparæ commendaret, illa cingulum castitatis è cælo detulit: quo ex tempore omni postea carnis stimulo immunis fuit. Replet thesauros sanctitatis. Quod tum cæteris Sanctis, tum speciali modo sancto Andreæ Episcopo Fesulano, & Car-melitæ præstítit. Quippe, cùm ille ex cumulo scelerum ad beatum Virginem confugisset, hæc non multò pòst ei apparens, dicensque, *Servus meus es tu: in te gloriabor, insignem illi sanctitatis gradum largissimè contulit.* Replet thesauros etiam divitiarum & opum tem-poralium: quod, ut narratur in libro miraculorum sanctissimi Sacra-menti, præstítit Vdoni cuidam: qui, ope Virginis, cuius cœperat esse mirificè studiosus, ad Episcopatum, atque ad amplissimas opes per-venit. Copiosius id præstítit Narseti Eunicho, cui, cùm is, ut refert Nicephorus libro 4. hist. cap. 20. studiosissimus esset Virginis, ejus opera ingens thesaurus subter Imperialis Palatii lapides absconditus mirabiliter detectus est, ad divitiarum augmentum: quò ad litteram impleretur, *ut ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam.* Re-plet denique thesauros etiam humanæ felicitatis: nam Heraclius Persas ope Virginis profligavit, ut habetur ex Orosio libro 18. Hist. Pelagius primus Hispaniæ Rex, è Saracenis, cæsis octoginta millibus hostium, invocata Virgine, amplissimam victoriam reportavit, ut habetur ex Mariana de rebus Hispanis. Godefridus, recitatione Of-ficii beatæ Virginis imposita militibus, Hierosolymam recuperavit, ut refert Tyrius in bello sacro, & alii. Quamobrem jure optimo po-test dici ex persona Virginis, *ut ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam.* Quod si, sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat matrem suam, Eccles. cap. 3. Utique honorificanti Virginem, quæ fidelium communis est mater, thesauri non deerunt gratiæ & gloriæ: ac proinde honorificatio Virginis prædestinationis ac felicitatis est signum.

**CCXLV.** Quintus locus est Prov. 8. *Qui me invenerit, inveniet vitam; & hauriet salutem à Domino.* Quæ verba applicantur communiter ab interpretibus, Deiparæ, imo ab ipsa Ecclesia in Festo Conceptionis: *Qui me invenerit, inveniet vitam: id est, juxta glossam Cornelii,* In Maria in-vitam gratia & gloria. Ideo sapienter Idiota, *inventa, inquit; Ma-venitur om-vita, invenitur omne bonum.* Omne autem bonum est Deus clarè ne bonum. *vitus: juxta id, quod dicitur Moysi, Exod. 33. Ostendam tibi omne*

bonum. Addit præterea clariùs, & hauriet salutem à Domino. Illud hauriet dicit quandam abundantiam, & copiam gloriæ quam hauriunt prædestinati per Virginem, tanquam per canalem & aquæductum gratiæ & gloriæ. Ideo dicit Bernardus sermone de Aquæductu, Propterea tanto tempore humano generi fluente gratiæ defuisse, quod necdum intercederet tam desiderabilis aquæductus. Approximatio igitur cordis & oris ad hunc aquæductum Mariæ, signum prædestinationis est ; quia signum est quod quis hauriet salutem à Domino : utpote fiet in eo fons aquæ salientis in vitam eternam, Ioan. cap.4. Ita ut possit de ea dicere Virginis studiosus, ex Sap.7. Venerunt mihi Sap.7. omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius. Quamobrem Bernardus sermone citato, intuemini, inquit, quanto deuotionis affectu à nobis Mariam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria.

Sextus locus est Prou.31. Omnes domestici eius induiti sunt duplicitibus. Loquitur de muliere forte, per quam Bernardus homil.2.super Missus est, & alii Deiparam intelligunt. Deuoti Mariæ domestici sunt Mariæ; quos illa vestit duplicitibus ; ut opponatur Euæ, quæ, ut notat Bernardus sermone de laudibus sanctissimæ Mariæ, superuestinit car-nem filiorum suorum diploide confusione sua. De manu quippe illius: duplicitis mali semen terra nostra suscepit, scilicet culpam in anima, calamitatem in corpore. Domestici igitur eius vestiti sunt duplicitibus ; quia eos Virgo vestit, ut glossat Cornelius, charitate in anima, continentia in corpore. Sive domestici eius vestiti sunt duplicitibus ; quia vestiti sunt Christo, iuxta illud Pauli ad Rom.13. induite Dominum Jesum Christum : & vestiti sunt Maria, iuxta id, quod dicit Bonaventura in Psalterio : Mariam induite quotquot eam diligitis. Hec luceat in moribus splendeat in actionibus. Addit Pelbartus in stellario Virg.l.12. part.1.art.3.author pius, & priscus, eos qui speciali affectu prosecuti sunt Virginem, in eius deuotione insignes, assecurati in cælo peculiarem veluti aureolam, & aliqua veluti insignia, quibus à ceteris, ut speciales Deiparæ asseclæ, discernantur : Nam sicut, inquit, servi Regis & Regina in Curia Regia certis vestibus & insignibus decorati procedunt, per quæ discernuntur vi servi Regis vel Reginæ, ac speciali purpura vestiti ambulant ; ita in Curia caelesti servi beatissime Virginis speciali ornati, & gloria, quæ præ aliis discernantur quod servi sine Maria, fulgebunt, iuxta illud Prou. vlt. Omnes domestici eius vestiti sunt duplicitibus.

Septimus locus Eccl.24. qui creauit me, requieuit in tabernaculo Eccles.24. meo, & dixit mihi, In Iacob inhabita, & in Israël hereditare, & in electis meis mitte radices. Hæc verba explicantur de Virgine ab Hungone Cardinale, Cornelio, & aliis in eum locum, & quod magis est, eidem ab Ecclesia aptantur in Festo Assumptionis. Dixit, quæ creauit

## 348 Duodecimum prædestinationis signum

*me, requievit in tabernaculo meo.* Per quod intelligitur uterū Virginiſ: de quo Psal. 45. ſanctificavit tabernaculum ſuum Altissimus, ut interpretatur Augustinus ſermone de Assumptione, & ſanctus Thomas 3. part. quæſt. 27. art. 2. Ideo Damascenus oratione 1. de nat. Virg. Cedat, inquit, Abrahami tabernaculum vivo & ratione predito Dei tabernaculo. Ait igitur Virgo, qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, & dixit mihi, In Iacob inhabita, & in Iſraël hereditare, & in electis meis, &c. Idem dicitur ſub variis vocibus: Nam Iacob figura eſt electorum, ſicut Eſaii figura reproborum, juxta Paulum ad Rom. 9. Iacob dilexi, Eſaii autem odio habuit Iſraël idem ſonat, ac videns Deum; & ſic in idem recidit. Denique expreſſius, & in electis meis mitte radices. Nempe, ut ait Cornelius, electorum dux, mater, magistra, & custos. Sicut igitur radix & cauſa eſt & signum germinis, ita Deipara electorum. Quicumque igitur per devotionis affectum manferit in hac radice, signum habet quod ex ea germinabit electus. Ideo ſubdit infra, radicavi in populo honorificato. Electos ipſos vocat populum honorificatum, juxta id quod dicitur Psal. 138. nimis honorati ſunt amici tui Deus. Sequitur, & in parte Dei mei hereditas illius, id est in parte, quæ inter tot reprobos obtigit Deo meo, & quæ eſt hereditas illius, ut optimè explicat Cornelius. Et in plenitudine Sanctorum detentio mea, Vbi cumque videris detineri Virginem, ibi plenitudo Sanctorum & electorum; quia, dum detinetur à Sanctis per devotionem, ipſa eos detinet per protectionem. Quamobrem sanctus Bonaventura in ſpec. Virg. cap. 7. Virgo non ſolum in plenitudine Sanctorum detinetur, ſed etiam in plenitudine sanctos detinet, ne plenitudo minuatur. Detinet virtutes, ne fugiant: detinet merita, ne pereant: detinet dæmones, ne noceant: detinet filium, ne peccantes percutiat. Ante Mariam non fuit, qui ſic detinere Dominum auderet, teſte. Iſaja 64. qui dixit, Non eſt qui invocet nomen tuum, & teneat te. Omnes igitur qui per aſſiduum & perseverantem eius cultum Mariam detinent, signum prædestinationis habent; quia detinebuntur à Maria, quæ poterit de iis dicere idem quod Christus, non peribunt in aeternum, & nemo rapiet eos de manu mea, Ioan. 10.

CCXLVI. Octauus locus eſt ibidem infra: Qui audit me, non confundetur:

& qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidant me, vitam aeternam habebunt. Quæ verba ab interpretibus ſenuſ litterali primo explicantur de ſapientia increata, ſecundario vero de Virgine. Tria proponuntur facienda, audire Mariam, operari erga Mariam, & elucidare Mariam. Audire Mariam eſt, inspirationum vocibus eius interceſſione immissis patere. Sic illam qui audiunt, non confundentur, conuafione reproborum, de qua Dauid Ps. 36. non confundentur in tempore malo. Ideo Biblia Complut: Qui obedit mihi, non erubescet. Operari erga Mariam eſt in eius venerationem, & cultum bona opera facere.

Tria erga  
Mariam ſunt  
præſtanda.

Pſalm. 36.

ut erogare elemosynas, actus mortificationis in eius honorem eliceret, certis diebus jejunare, orationes ad eam fundere, recitare rosa-  
rium , & similia. Qui sic in eam *operantur, non peccabunt.* Quia per  
eam auxilia efficacia impetrabunt, per quæ à peccatis gravibus præ-  
servabuntur , aut saltem citò ad veram, & stabilem pœnitentiam re-  
dibunt. *Elucidare* Mariam est , illi sive verbo , sive scripto lucem  
laudis aliquam comparare. Ideo Anselmus lib.de excell. Virg.cap. i. *Anselmus.*  
*Quomodo* , inquit , fieri potest , ut ex memoria laudum ejus salus non  
proveniat peccatorum , cuius uetus facta est via ad peccatores sanan-  
dos ? Admirabilia sunt , quæ suarum laudum præconibus Virgo  
præsttit. De Fulberto Episcopo Carnotensi , qui librum de Virgine  
scriperat, ac sermones in ejus laudem ediderat, narrat Baronius tom.  
11. anno 1028. illi, dum in lecto decumberet, Deiparam apparuisse,  
etque ubera præbuissè lugenda: redditio labiis lacte pro laude. *Sanctus*  
*Ildefonsus*, qui totus fuit in laudibus Virginis ac defensione ejusdem  
immaculatissimæ puritatis, accepit ab ea vestem sacerdotalem in præ-  
mium, ut ex antiquioribus refert Mariana lib.de rebus Hispanis cap.  
10. S. Damasceno amputatam à Saracenis Maria restituit dexteram,  
quæ in ejus scribendis laudibus laboraverat, ut refert Baronius anno  
728. Dum concionator quidam ex Dominicanorum familia , qui  
semper aliqua de laudibus Virginis in concione miscebat, in extremo  
morbo, magno è peccatorum memoria metu concuteretur , ægrum,  
ac trementem invidente Deipara, illico incredibili voluptate perfusus  
ad cœlum migravit feliciter, ut refertur in speculo exemplorum. Ex  
his appetet quām verè pronuncietur à Virgine qui elucidant me ,  
vitam aeternam habebunt. Ubi nota dici , qui elucidant me , quæ-  
rendo scilicet lucem , & laudem Virginis; non autem qui elucidant se ,  
captando splendorem, & lucem proprii nominis. Potest etiam latius  
id accipi, ita ut extendatur non solum ad præcones, sed etiam ad quos-  
libet devotos Deipara. Quia sive præcibus , sive operibus, dum eius  
cultui, ac veneracioni serviantur , illi gloriam accidentalem adaugent ;  
atque adeo claritatem quandam, ac lucem. Et proinde tam cultores  
Virginis , quām præcones signum prædestinationis obtinent maxi-  
mum, & quoddam pignus aeternæ vitæ ex hoc promisso, qui elucidant  
me , vitam aeternam habebunt.

Nonus locus est ibidem infra. *In me omnis gratia via & veritatis : In Maria*  
*in me omnis spes vita , & virtutis.* Quæ verba S. Thomas opusc. 8. *spes aeterna*  
*S. Bonavent. in spec. cap. 3. & alii interpretantur de Virgine. Si omnis* *vita.*  
*spes vita*, nempe aeternæ vitæ in Maria, utique spem specialem aeternæ  
vitæ habent studiosi Mariæ. Quod si Christus dixit Joan. 14. *Ego sum via, veritas & vita : & in Maria est omnis gratia via, & veritatis,* *Ioan. 14.*  
*& omnis spes vita ; profectò per Mariam habetur Christus ut via ,*  
*veritas , & vita : & sic ut prædestinationis medium , & finis : me-*

350 *Duodecimum prædestinationis signum*

*S.Thom.*

dium ut via, & veritas; finis ut vita. Addit præterea, in me omnis spes  
vitæ, & virtutis: quia, ut notat S. Thomas loco cit. in omni opere  
virtutis potes eam habere in adjutorium: & ideo dicit ipsa, in me om-  
nis spes vita, & virtutis. Confirmatur, quia Maria idem valet, ac spes,  
ut notat Epiphanius orat. de laudib. Virg. quia scilicet spem æter-  
næ vitæ collocare præcipue debemus in Maria: idcirco ait, in me  
omnis spes vita, & virtutis.

*Matth. 25.*

Decimus locus est Matth. 25. ubi dicitur *regnum calorum simile*  
*decem Virginibus, quæ accipientes lampades exierunt obviam sponsō,*  
*& sponsa. Ex his dicuntur quinque prudentes, quæ acceperunt oleum*  
*in vasis suis cum lampadibus; & hæ symbolum sunt electorum:*  
*quinque fatuæ, quæ non sumpserunt oleum secum: & hæ symbolum*  
*sunt reproborum, ut patet ex fine parabolæ, & notat Gregorius*  
*homil. 12. in Evang. Observandum quod Virgines hæ accipiunt lam-  
pades, ut exeat obviam sponsō, & sponsa, utique Christo, & Ma-  
riæ. Neque enim nomine sponsa hic accipi potest Ecclesia, ut vult*  
*Cornelius. Nam, ut notat Gregorius ibid. decem Virginibus simili-  
bus esse perhibetur Ecclesia, in qua Virgines fatuæ, & prudentes, ele-  
cti cum reprobis admixti sunt. Ornandas igitur Christus monet lam-  
pades non solum in occursum sponsi, sed etiam sponsa; non so-  
lid est Iesu & Mariz, cum lumen Christo, sed etiam Mariæ: ac proinde in lampadibus bonorum  
devotionis operum accipendum oleum devotionis in honorem sponsi, & sponsa;  
lumen Christi, & Mariæ. Non disjungendus sponsus, & sponsa; Christus, &  
Maria. Unde sit, ut illæ animæ; quæ tanquam Virgines fatuæ non  
habent lampades sanctorum operum lucentes affectu devotionis erga  
Mariam, neque exeat obviam sponsa, & sic neque sponsō: qui dicit  
illis, nescio vos. Quæ vero lucent affectu devotionis erga Mariam,  
jam habent lampades suas ornatas ad exequendum obviam sponsa, &  
sic etiam sponsō, & cum eo intrant ad nuptias æternæ vitæ. Hæc  
expositio comprobatur maxime ex eo quod refert S. Adelinus apud  
Surium 22. Aprilis de S. Opportuna Abbatissa. Cui, cum graviter  
agrotarer, apparuerunt Sanctæ Lucia & Cæcilia ita eam alloquen-  
tes: *Expectat te Maria, ut conjugaris cum filio. Tu accensa lampade,*  
*exi obviam sponsō, & sponsa. Quibus dictis mox Deipara apparuit:*  
*cui Sancta Opportuna exiens obviam intavit cum ea ad nuptias.*  
*Lumen igitur devotionis, & veluti lampas ornata in cultum Virginis*  
*signum est futuri ingressus ad nuptias. Notandum quod Virgines in*  
*ea parabola, licet significant, ut notat Gregorius loco cit. multitudi-  
nem fidelium ex utroque sexu collectam, ponuntur tamen fœminini*  
*generis, quia mulieres exituræ obviam sponsō, & sponsa, magis se*  
*parant ad accipendam sponsam, quam sponsum. Ut mitum non sit*  
*sæpè magis sensibiliter elucere in electis studium erga Virginem, quam*  
*erga Christum. Quia hæc est voluntas ipsiusmet Christi, qui ad inge-**

*Surius.*

rendum in suis electis hunc affectum deuotioni, sensibilem circa matrem, præstat, teste Anselmo de excell. Virg. cap. 6. *ut velocior ali-*  
*quando sit salus memorato nomine Mariae, quam Iesu.* Numirum  
 virginibus ex euntibus obuiam sponsō, & sponsæ magis familiarem se  
 præbet sponsa, quam sponsus. Et hæc quoad dicta Prophetica, &  
 Euangelica.

Quoad secundam classem, quæ pertinet ad figuræ, distribuendæ hæ  
 sunt in figuræ animatas, & inanimæ. Ex priori genere.

Prima figura Deipara fuit Eua, quæ hoc nomen sortita est *eò quod CCLVII.*  
*esset mater cunctorum viuentium.* Genef. 3. Debuerat appellari, post Mariæ figura  
 auditam in se ac posteros mortis sententiam, ut notat Rupertus lib. 3. *fuit Eva.*  
 de Trin. cap. 26. *mater cunctorum morientium.* Quod dubium sol-  
 vens Epiphanius hæresi 78. *Ecce, inquit, mater viuentium, postquam audiuit terra es, & in terram reueneris.* Et mirum est, quod post  
 banc transgressionem, magnum cognomen habuit. Et secundum sensum  
 quidem ab illa Eua omnis hominum generatio est in terra. *Hic autem verè à Maria has vita mundo est genita, ut viuentem gigneret.*  
 Per anigma igitur Maria mater viuentium appellata est. Si igitur  
 Maria, ut ait Athanasius serm. de Deipara, noua Eua, mater vita ap-  
 pellata permanet ad primicias vita immortalis omnium viuentium,  
 signum habet quod viuat vita gratiæ, & futurus sit viuens vita gloriæ,  
 qui verè affectum filiale sentit erga matrem viuentium. Sicut enim  
 ab Eua ducta est generatio omnium viuentium vita naturali, & mor-  
 tali; ita à Maria ducta est generatio viuentium vita supernaturali, &  
 æterna, idest generatio omnium electorum, qui absoluē, & per an-  
 tonomasiam dicuntur viuentes, iuxta illud Psalm. 68. *deleantur de Psal. 68.*  
*libro viuentium: & Psalm. 26. credo videre bona Domini in terra Psalm. 26.*  
*viuentium.* Illi igitur, qui afficiuntur erga matrem viuentium, vi-  
 debunt bona Domini in terra viuentium. Duplex quippe est homi-  
 num series, una reproborum, quæ adhæret primis parentibus; à qui-  
 bus peccatum, & mors: & hi, quamvis nobilitatem iacent & titulos,  
 perducuntur ad perditionem. Altera est series electorum: quæ non  
 adhærens familiæ propagini ductæ ex Adamo, & Eua, per nouam & Nemo à  
 spiritualem generationem innititur Christo, & Mariæ. Nemo ab Christo nisi  
 Adamo, nisi per Euam: nemo à Christo nisi per Mariam. Immo per Mariam.  
 multò magis. Nam Eua non potest dici in ordine ad seriem naturalem  
 primus homo: qui titulus competit Adamo, iuxta illud Pauli 1. Cor. 1. Cor. 15-  
 15. *primus homo de terra terrenus.* Mater autem messiæ appellata  
 est à Rabbi Haccados viro doctissimo ante Christi aduentum *primus*  
*homo, & prima creatura;* & à Damasceno or. 3. de tract. *massa Damasc.*  
*nostra primitia.* Quasi Mariæ in hac generatione spirituali commu-  
 nicatae sint partes & Adami, & Euæ: quia non per Euam primus  
 Adam; sed per Mariam secundus Adam, Ideo dicitur à Petro Da- Pet. Dam.

352 Duodecimum prædestinationis signum

miano sermone 3. de nat. parentis, fons fontis, origo principii.  
Quapropter non solum dicitur cum Eva mater vincentium; sed etiam,  
ut eam vocat Andreas Cretensis orat. de dorm. vita vincentium, &  
causa vita. Ad hanc qui per affectum accedit, causam habet & signum  
vitæ, ut cum Germano dicetur infra.

Mariæ figura fuit Sara: deueniendo ab Adamo, qui  
fuit pater hominum, ad Abramum qui fuit pater credentium, ad  
Rom 4. Sara autem mater Isaac figura fuit Mariæ; sicut Isaac figura  
fuit Christi. Ideo Bonaventura in Spec. cap. 6. O Maria, inquit, o  
Sara nostra, dic quod sis soror nostra, ut propter te bene sit nobis à Deo,  
& viuet anima mea ob gratiam tui (ita dixit Abraham Saræ Gen. 12.)  
ut propter talem sororem Aegyptii, idest demones, nos reverentur: ut  
Angeli nobis in acie conjungantur: ut propter talem sororem Pater,  
Filius & Spiritus sanctus nostri misereantur. Quod si Sara idem sonat  
ac princeps, ut notat Spinellus libro de Virgine cap. 29. num. 1. Maria  
vtique nostrum omnium princeps est & Regina, ut ostendimus tomo  
priore libro 6. q. 38. num 49. Quia verò Isaac idem sonat ac risus,  
sue gaudium, (Natus est Isaac, dixitque Sara, Risum fecit mihi Do-  
minus, Gen. 21.) vtique Sara figura fuit Mariæ, ut notat Cornelius  
ibidem, & Spinellus de beata Virgine cap 5. num. 15. quia sicut Sara  
mater fuit Isaac, idest risus; ita Maria mater fuit Christi, qui, ut no-  
tat Rupertus, risus fuit & gaudium uniuersæ terra. Quare sicut Sara  
Isaac, idest risum; sive, ut vertit Chaldaeus, gaudium, portauit in vte-  
ro; ita, ut ait Augustinus sermone 18. de Sanctis: Eva lacrymas, Maria  
gaudium in ventre portauit. Gaudium, quanto vel ab ipsis mundi  
primordiis Euæ lacrymas exhilarauit. Ideo Damascenus in Theoph.  
hymnis inter opera eius auctiora. Per te, inquit. Virgo, primi paren-  
tes exhilarantur. Dixit Sara post partum Isaac, Risum fecit mihi  
Dominus: omnis qui audierit, congratulabitur mibi. Dixit Maria post  
conceptum Verbi, exultauit spiritus meus in Deo salutari meo,  
Luc. 1. Et ex persona eius Ecclesia, Congratulamini mibi, quia de meis  
visceribus genui Deum & hominem. Cum hoc tamen discrimine,  
quod Isaac fuit risus & gaudium Saræ, Risum fecit mibi, &c. partus  
verò Virginis fuit risus & gaudium uniuersæ terre, ut supra diximus  
cum Ruperto. Ideo Maria dicitur ab Ecclesia in Litan. causa nostræ  
lætiae, & ipsius ortus gaudium annunciare uniuersomundo: quod  
videtur sumptum à Gregorio Thaumaturgo, qui Orat. de Annunc.  
Aue, inquit, gratia plena: per te gaudium dispensatur omni creatura.  
Illi igitur quibus per affectum affulget Maria, affulget gaudium, &  
spes æternæ vitæ. Abraham, sepulta Sara in Hebron, quæ spectabat  
ad terram promissionis, pignus per hoc accepit introducendi posteros  
in terram promissionis: &c., ut notauit Abbas Pastor in vitis Patruin,  
respondens interroganti, Quid faciam ut saluer? Per Saræ monu-  
mentum

Mariæ figu-  
ra fuit Sara.  
ad Rom. 4.  
Bonav.

Spinell.

Augustin.  
Maria gau-  
dium, Eva  
lachrymas in  
ventre por-  
tavit.  
Damascen.

Mariæ par-  
tus univer-  
si orbis gau-  
dium.

Gregorius  
Thaum.

*Devotio erga Deiparam: reprob. inde votio.* 353

mentum terram in hereditatem accepit. Memoria & umbra Saræ ibi in spelunca conditæ introduxit Israëlitæ in possessionem terræ promissionis. Memoria & umbra Mariæ conditæ in spelunca cordis introducit electos in possessionem Regni cœlorum; cuius figuram habet terra promissa, ex Origene hom. 7. in cap. 13. Numerorum. In Saræ monumento pignus habuerunt Israëlitæ futuræ hereditatis: in Mariæ memoria pignus habent, & signum cœlestis hereditatis veri Israëlitæ & electi. Ideo Damascenus orat. i. de dorm. *Sufficit, inquit, iis qui tui memoriam pie usurpant, pretiosissimum memoria tua donum: quæ ejusmodi latitudinem parit, quam nullus potest eripere.* Damasc.

Tertia Deiparae figura fuit Rebecca, ut notat sanctus Antoninus CC XLVIII.  
4 part. tit. 15. cap. 2. Hæc autem mater fuit Iacob, qui fuit typus electorum; & Esaü, qui fuit typus reproborum, ex Paulo ad Rom. 9. Mariæ figura  
Rebecca.  
Quia Maria mater in Ecclesia omnium credentium, sive reprobri sint, sive electi. Ideo dicitur à Bonaventura in spec. cap. 8. *mater omnium fidelium universalis.* Cùm igitur ex fidelibus aliqui sint electi designati per Iacob, aliqui reprobri designati per Esaü: observandum est, quod à Rebecca diligebatur Jacob, ab Isaac diligebatur Esaü, Gen. 25. Sicut igitur Iacob in affectu Rebeccæ erga ipsum majore, quam erga Esaü, signum habuit & causam paternæ benedictionis, quam ipse una cum hereditate, excluso Esaü, suscepit ab Isaac, ut habetur Gen. 27. ita electi figurati per Iacob pignus habent futuræ benedictionis in affectu Mariæ erga ipsos: & sic in affectu ipsorum erga Mariam: quippe quæ protestatur Prov. 8. *Ego diligentes me diligio.* Vide quæ de hac figura diximus tom. 2. Theol. lib. 3. q. 10. n. 14. occasione designationis electorum facta per Mariam. Illud addo, quod Isaac motus est ad dandam benedictionem ex odore vestimentorum quæ Iacob acceperat à manu matris, *statim ut sensit fragranciam vestimentorum eius;* quia scilicet nescio quid olebant Rebeccæ. Similiter Christus movetur ad impertendam benedictionem salutis ex fragrantia orta ex Maria, nempe ex affectu devotionis eorum qui toti olenit Mariam. Imò ipsem Isaac benedictionem dedit Iacob, quia in eo propheticō spiritu est odoratus Mariam. Ideo sanctus Hieronymus epist. ad Paulam & Eustochium de Maria loquens, *De isto,* inquit, *venturo agro Patriarcha Isaac longè odorans aiebat, Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni. Et sanè plenus ager dicitur, quia plena gratia virtutum Virgo Maria pronunciatur.* Hieronymus.

Quarta Deiparae figura fuit Rachel, quæ erat, ut dicitur Gen. 24. *Mariæ figura*  
*decora facie, & venusto aspetto:* ac proinde Deiparam adumbrabat, Rachel.  
quæ fuit pulcherrima inter mulieres, Cant. 1. &c., ut dicit Georgius *Genes. 24.*  
Nicomed. Orat. de oblat. *pulchritudo omnium pulchritudinum.* Ra- Cantic. 1.  
chelem adorauit Jacob, & pro ea servivit plusquam pro Lia, Mariam Georg. Nic.  
adamavit Christus, pro qua etiam formam servi accepit, ad Philipp. 2.

Yy

354      *Duodecimum prædestinationis signum*  
Quippe , ut affirmat sanctus Bernardus Senensis tomo 3. Conc. 5.  
art. 3. cap. 4. plus venit pro redimenda *Maria* , quam pro omni alia  
creatura. Quod si inter tot filios Iacob ex Lia , natus est illi ex Ra-  
chèle *Beniamin filius dextera* , Gen. 35. vtique qui Mariam , nouam  
Rachelem , matrem agnoscit , signum habet quod sit *filius dextera*  
idest , vt ibi interpretatur Rupertus , cum electis collocandus à dex-  
teris. Obseruandum quod Rachel vocavit nomen filii sui *filius doloris* ; pater verò appellauit *Beniamin* , idest *filius dextera*. Rachel  
vocavit filium doloris , vt notat Rupertus , ob doloris in pariendo im-  
mensitatem , Maria vero , vt ait Bernardus de lament. Virg. dolorem  
quem pariendo filium non sensit , millies replicatum passa est filio mor-  
iente : Quia scilicet tunc vna cum Christo pariebat electos. Ideo  
Anselmus apud sanctum Antoninum 4. part. tit. 15. cap. 2. Sicut , in-  
quit , *Christus nos genuit in cruce patiendo : ita Maria nos genuit , &*  
*peperit in maximis doloribus filio compatiendo*. Ideo unusquisque elec-  
tus appellatus à Virgine , *Beniamin filius doloris* : sed appellat eum  
pater , *Beniamin* , idest *filius dextera* : quia is , pro quo Maria specia-  
liter suos offert dolores , à Deo prædestinatur , vt sit *filius dextera*.  
Ille igitur , qui erga Deiparam afficitur tanquam erga matrem , signum  
habet quod sit *filius dextera* , idest prædestinatus & electus.

Gom. 35.

Bernard.

Maria quos  
in Christi  
partu non  
tensit dolo-  
res , sensit  
dum cum  
Christo in  
cruce , ei  
compatiendo , patiebat  
electos.

Anselmus.

Mariæ figura  
fuit Maria  
Prophetissa.  
Basiliss.

CCXLIX.

Chrysologus.

Quinta Deiparæ figura fuit Maria Prophetissa soror Aaron : Quæ  
præfigurauit Mariam ; tum nomine , quod primò illi videtur impos-  
tum ; tum dono Prophetiæ , cùm appellatur Prophetissa Exodi 15.  
Maria autem , vt ait Basiliss , quod Prophetissa fuerit nemo contra-  
dixerit , qui fuerit verborum illius memor , quæ dixit propheticō afflata  
spiritu. Tum denique quia Maria soror Aaron fuit virgo , vt notat  
Nyssenus libro de Virg. cap. 6. Ambrosius exhort. ad Virg. &c. alii.  
Alioquin non diceretur soror Aaron , sed vxor talis vel talis viri : & sic  
sola hæc mulier in veteri Testamento virginitatem coluit. Sed præ-  
cipue Maria soror Aaron typum gessit Mariæ ex eo quod prima post  
egressum è mari rubro sumpsi tympanum , egressaque sunt omnes mu-  
lieres post eam : quibus præibat dicens , *Cantemus Domino* , &c. Exod.  
15. Primum signum Pharaonis in mari rubro demersi , & Israëlitici  
populi à tyrannide Agyptiaca liberati apparere cœpit in Maria. Ma-  
ria præcessit populum : Maria ad terram promissam dux extitit per  
desertum ; vt eo facto adumbraretur primum nostræ prædestinationis  
& liberationis signum , diabolo in Christi sanguine , veluti in rubro  
mari demerso , rursus nobis apparere in Maria. Ita vt hæc , & liberta-  
tis omen , & ducatum præbeat ad salutem. Ideo Chrysologus sermone-  
146. Semper , inquit , *Maria humana prenia salutis , Populum , quem*  
*unde generatrix emisit in lucem , ipsa prior præcessit in Cantico . Maria*  
*soror Moysi sumens tympanum dixit , Cantemus Domino , &c.* Obser-  
uat Cornelius quod primum hoc loco , quando epinicum cecinit

libertatis , appellatur Maria : cùm cap.2. dicta sit tantum , suppresso nomine, soror Aaron; quia in hoc typum gessit Mariæ, quæ est electorum libertatis præcentrix. Dicitur præterea Num. 12. non est motus <sup>Num. 12.</sup> populus de loco suo , donec revocata est Maria : ubi Lyranus , impedimentum , inquit, itineris fuit reverentia Marie. Non audebat populus Israëlis ad terram promissionis progredi , nisi prævia esset Maria. Signum igitur habetur quod præventuri sunt ad terram promissam , qui ductricem sequuntur Mariam. Ideo Ambrosius epist. 81. <sup>Ambroſius.</sup> ad Syricium, in veteri, inquit, Testamento virgo Hebraorum per mare duxit exercitum : in novo Testamento Virgo Regis aula celestis electa est ad salutem.

Sexta Deiparae figura fuit Rahab, quæ excipiens exploratores missos à Iosue in domum suam, causa fuit salutis omnibus suis domesticis per signum funiculi coccinei suspensi in fenestra Iosue 2. Rahab idem significat , ac dilatata seu latitudo , ut advertit Origenes homil. 3. in Iosue. Quæ autem magis dilatata, quām Maria : cuius gratia immensa, ut ait Epiphanius serm. de laud. Deiparae : cuius venter calum est , ut ait Damascenus or. 2. de nat. qua capacior est mundo , quia cum clausit quem totus non capit orbis , ut ait Bonaventura in spec. cap. 5. Sicut autem Rahab sibi aliisque facta est causa salutis , eo quod suscepit missos à Iesu filio Nave : ita hæc quod excepit hospitio ipsum inveniet Iesum. Hoc mysterium innuitur Psalm. 86. ubi cum juxta glossam <sup>Psalm. 86.</sup> Hugonis Cardinalis , &c aliorum , David dixisset de Virgine, funda- menta ejus in montibus sanctis : diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob : gloria dicta sunt de te Cœitas Dei, statim subdit, memor ero Rahab. Nihil commune Virgini cum Rahab, nisi quod hæc figura fuit Mariæ Iesum excipientis sui ventris hospitio. Ideo Bernardus sermone 2. de Assumptione , Felix , inquit, mulier, <sup>Bernardus.</sup> quæ jam non exploratores Iericho , sed potius fortissimum illum expoliatorem : non legatos Iesu filii Nave ; sed ipsum suscipere meruit verum Iesum filium Dei. Sicut autem Rahab ob hospitium exploratoribus præstitum salvavit ab incendio domum suam, omnesque domesticos, ut habetur Iosue cap. 2. ita nunc salvantur omnes domestici & familiares Mariæ, qui per affectum in eadem domo cum Virgine , imo in ipsa Virgine , inhabitant. Ideo in Psalmo citato subiicitur , Sicut latantium omnium habitatio est in te. Quod clarius explicans Ecclesia in Officio beatæ Virginis , Sicut , inquit, latantium omnium nostrum habitatio est in te , sancta Dei Genitrix. Merito dicuntur latentes, qui habitant per affectum in Virgine ; quia planè tui in hac domo, & penè certi sunt de salute; cùm in conflagratione universalis Iericho, quæ universitatem reproborum designat, sola Rahab , & qui cum ea reperiuntur , sint salvi. Quippe signum salutis , funiculus coccineus, qui teste Ambroſio sermone 13. in Psalmum 118. designat Passionem

356      *Duodecimum prædestinationis signum*

*Epiphanius.*

*Ildefonsus.*

*Mariæ figura  
Debora.  
CCL.*

*Iud. 4.  
Bernard.*

*Prou. 31.*

*Ambrosius.*

*Maria idem  
ac illuminatrix.*

*Iud. 9.  
Anselmus,*

*Cant. 6.  
Rupertus.*

Dominicam , pendet tantum è domo Rahab ; cùm sanguis Christi , quem ipse accepit à matre , iis efficaciter communicetur , quibus vult mater . Adde sanguinem , & aquam , quæ ex latere Christi manarunt , & , ut ait sanctus Epiphanius lib. 3. hær. 78. facta sunt pretia redemptionis , à Virgine cruci astante fuisse vasculo excepta , ut refert Niccephorus libro 1. hist. cap. 31. & Metaphrastes orat. de vita & dormit. Deiparæ . Apud nostram Rahab est funiculus iste coccineus solvens à servitute , in signum salutis . Ideo jure Ildefonsus sermone 8. de Assumptione , Dubium , inquit , non est illam posse pro liberatis impetriri suffragium , quæ meruit pro liberandis afferre pretium . Denique liberationis , ac salutis signum funiculus iste coccineus in tantum datur , qui sunt in domo Rahab ; nempe iis qui per affectum habitant cum Maria .

Septima Deiparæ figura fuit Debora ; quæ , ut habetur libro Iud. cap. 4. domina populo Israëli , debellavit hostem ejus Sisaram . In quo typus fuit Mariæ , quæ idem sonans ac Domina , debellavit Dabolum , veluti Sisaram infernalem . Illa victoria sub mulieris reportata vexillis , attributa est mulieri , juxta id quod dicitur cap. 4. in manto mulieris traditur Sisara . Hac victoria , ut ait Bernardus hom. 2. super Missus est , cui servata nisi Maria ? Hanc mulierem requirebat Salomon , cùm vehementer admirans dicebat , Mulierem fortem quis inveniet ? Prou. 31. & ita videbatur congruere , ut qui per foeminam vicerat , per foeminam vinceretur . De hac victoria potest magis propriè usurpari , quod dicitur de victoria Deboræ , de calo dimicatum est contra eos : stellæ manentes in ordine , & cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt . De Maria potest verius dici , quod de Debora libro de viduis dixit Ambrosius , Fœmina indicavit : fœmina disposuit : fœmina prophetavit : fœmina triumphavit . Debora , ut refert Magaglianu in 4. Iud. se&t. 1. annot. 4. fuit hoc insignita titulo , fœmina illuminatrix . Maria , ut notat sanctus Thomas opuse 8. idem est ac illuminatrix . Debora appellata est mater in Israël . Ideo dicitur Iud. 9. donec surgeret Debora , surgeret mater in Israël . De Maria dixit Anselmus lib. de excell. Virg. cap. 11. quod sicut Deus omnia sua potentia parando cunctorum pater est , ita Maria suis meritis reparando cunctorum mater est . Denique Debora idem sonat ac Apis , ut observat Iosephi . antiqu. libro 5. cap. 6. Origenes in Iud. cap. 4. & Hieronymus epist. ad Fur. quia scilicet aculeum prætendit hostibus , mel suis . Multo magis id quadrat in Mariam , quæ suis clientibus mel dulcissimum , dæmonibus profert aculeum . Ideo dicitur Cant. 6. suavis & decora sicut Ierusalem : terribilis ut castrorum acies ordinata . ubi Rupertus , non solum , inquit , suavis , nec solum terribilis ; sed utrumque est , & suavis & terribilis . Nempe suavis , quia mellea ; terribilis , quia aculeata ; suavis suis clientibus , ac devotis ; terribilis hostibus , ac dæmonibus .

Ex utroque autem studioſi Virginis pignus habent ſuæ prædestinatio-  
nis, ac ſalutis. Nam, dum eam experientur ſibi ſuaueim, iam dulce-  
dinem prægūſtant æternæ vitæ: dum putant eam contra dæmones eſſe  
terribilem, ſpem concipiunt reportandæ per eam victoriæ. Non tra-  
ditur in manus Sifaræ, qui militat ſub vexillis Mariae. Vexilla eius dici  
poſſunt Congregationes institutæ & erectæ in honorem Mariae. Sicur  
autem de Christo dixit Cyprianus libro 2. ad Mart. cap. 6. quod *mor-Cyprianus.*  
*tem, quam ſemel vicit pro nobis, ſemper vincit in nobis:* ita dici potest  
de Maria, quod dæmonem, quem cooperata redēptioni filii ſemel  
vicit pro nobis, ſemper vincit in nobis.

Oc̄tava Deiparae figura fuit Ruth. Hæc enim idem ſonat, ac *festi-*  
*nans;* quod benè conſonat Mariæ. Festinauit enim in ea, gratia ante  
peccatum: festinauit uſus rationis ante ætatem: festinauit eius meritis  
accelerata Incarnatio: festinauit in nuptiis Canæ Galilææ eius preci-  
bus accelerata in Christo exhibitio miraculum: festinauit eius la-  
chrymis accelerata resurrectio. Denique de Maria dicitur Lucæ 1. *Luca 1.*  
*abiit in montana cum festinatione:* quia ſemper festinat ad exhiben-  
das gratias. Idcirco Bonauent. in ſpec. cap. 4. *Ruth,* inquit, *significat*  
*videns, & festinans:* & ſignat B. Virginem, qua eſt *videns noſtras*  
*miferias, & festinans ad impendendam ſuam mifericordiam.* Quod ſi, ut dicitur Eccleſ. 43. *medicina omnium in festinatione nebula;* qua eſt  
verba S. Bernardin. Sen tomo 3. ſerm. 11. art. 11. adaptat festinæ pro-  
tectioni Mariæ: quanto magis in ſibi deuotorum necessitatibus erit  
noua Ruth, id est *videns, & festinans*, in tantum ut poſtulationes ipſas  
præueniat. Sicut enim habet Conciliū Basilæense in institutione festi  
Visitationis, *ipsa non ſolum ſupplicantes exaudit: ſed, ut ex ſua*  
*elementia confuerit, etiam ſupplicare volentium preces prænenit.* Quamobrem Anſelmus lib. de excell. Virginis. *Velocior eſt,* inquit, tit.  
*non manquam ſalus memorato nomine eius,* (Matia) *quam inuocato Anſelmus.*  
*nomine Iefu.* Ut ex hoc ipſo ſit noua Ruth, id est *festinans:* quando ad  
ſolam eius nominis inuocationem festinat ſalus. Ideo Bonau. in ſpec.  
cap. 8. *Tu benè,* inquit, *signata es per illam Ruth de qua ſic legitur,*  
*ſit exemplum virtutis Ephrem, & habeat celebre nomen in Bethleem,*  
*ideſt in Eccleſia. O celeberrimi nominis Maria,* quomodo poterit no-  
men tuum non eſſe celebre, que deuotè nominari non potes ſine nomi-  
nantis utilitate? Poterit ex hac Ruth figura, maxima erui ſpes noſtræ  
prædestinationis in Virgine. Nam Ruth petiit ut colligeret ſpicas,  
qua eſt fugerent manus metentium: idque datum illi fuit à Booz, ut poterit  
habetur in libro Ruth cap. 2. Hoc autem figurabat Mariam, cui ſoli  
datum eſt colligere animas penè perditas & incorrigibiles: qua eſt fu-  
gerunt manus metentium, id est laborem, & ſollicitudinem prælato-  
rum. Quod animaduertens idem Bonau. in ſpec. cap. 5. *Ruth,* inquit,  
*in oculis Booz,* *Maria in oculis Domini hanc gratiam inuenit,* ut

*Matia figura*  
*Ruth.*

*Bonauent.*  
*Ruth signifi-*  
*catur videns, &*  
*festinans.*

*Eccleſ. 43.*

*Concil. Bas.*  
*Maria pre-*  
*cantium vo-*  
*ces anuer-*  
*tit.*

*Bonauent.*

*Matia vel*  
*nomen ipsum*  
*sine utilitate*  
*inuocari non*



358 Duodecimum prædestinationis signum

ipsas spicas, id est animas à messoribus derelitas, colligere ad veniam possit. Qui sunt messores, nisi Doctores, & rectores? O verè magna Marie gratia, qua multi ex ijs ad misericordiam colliguntur, quia à doctorisbus, & rectoribus tanquam incorrigibiles relinquuntur. Quod maius prædestinationis signum, quam etiam in incorrigibilibus per Virginem, & veniam, & præmij spem inveniri?

CCLI.

Mariæ figura

Judith.

Genes. 3.

Eulv. Card.

Bonavent.

Judith. 15.  
Hilarius.

Dam.

Albertus.

Dionys.

Mariæ pulchritudo.

Epiph.

Nona Deiparæ figura fuit Judith, quæ truncato capite Holofernisi causa fuit liberationis, & salutis toti populo; ut habetur in libris Judith: & sic figura fuit Deiparæ, quæ infernalis Holofernisi caput truncavit. Siquidem diabolo dictum est Genesis 3. inimicitias pónam inter te, & mulierem: ipsa conteret caput tuum. Sive, ut 70. ipse conteret. Nam, ut supra notatum est num. 243. ipse contrivit, ipsa contrivit: quia neque Maria nisi per Christum, neque Christus nisi per Mariam: atque adeo, ut dicit Petrus Dam. serm. de Annunt. sicut sine ipso factum est nihil: ita sine ipsa refectum est nihil. Ac proinde utrumque verum est, quod caput diaboli ipse contrivit: ipsa contrivit. Quoniam vero voluit Christus potius laudem victoriae tribui Matri, quam sibi, ideo absolute dictum est, ipsa conteret: & absolute præfigurata est hæc victoria in Judith, tanquam typo Mariæ. Quamobrem Fulbertus Carnot. de laud. Virg. contrivit Maria caput serpentis: contrivit caput Satanae, & astutiam ejus. Unde de illa dici potest, una mulier Hebraea fecit confusionem in domo Nabuchodonosor. Et Bonau. in spec. cap. 8. Maria, inquit, optimè signata est per illam famosissimi nominis fœminam Judith: de qua scriptum est, non erat, qui de ea loqueretur verbum malum. Idem observat Canisius lib. 1. operis Mariani cap. 2. Spinellus de B. Virg. cap. 24. num. 17. Seratius in lib. Judith c. 16. quæstiunc. 12. Celada in Judith. in prol. Append. ubi dicit fuisse Judith Maria umbram. Quippe Judith castissima, de qua dicitur cap. 15. confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaveris. Maria purissima: &, ut ait Basilus hom. de hum. Christi gen. nulla puritate par est Mariæ. Judith vir ejus reliquerat divitias multas cap. 8. Maria est gazophylacium thesauri, quo sumus de cruenti prædonis servitio comparati, ex Dam. ser. 45. Judith erat eleganti asperetu nimis cap. 8: Maria pulcherrima inter filias hominum: sicut Christus speciosus præ filiis hominum, ut ait Albertus lib. de B. Virg. Judith vultui contulit Dominus splendorem cap. 10. De Maria testatur Dionysius in epist. ad Paulum, cuius meminit Adrianus in 1. epist. ad Carolum cap. 36. quod ductus ad Deiformen presentiam Virginis, tantus enim splendor circumfulsit exteriorius, ac pleniùs irradiauit interiorius: ut nec corpus, nec spiritus possent iante felicitatis insignia sustinere. Judith pulchritudinem ita Dominus ampliavit: ut incomparabili decore omnium oculis appareret cap. 10. Maria, teste Epiphanio or. de laud. Virg. formosior est ipsis Chern-

bim , ac Seraphim , & omni exercitu Angelorum . Judith pulchritudo , cum captiva duceretur ad castra Assyriorum , neminem allexit ad malum : sed considerabant faciem eius , & erat in oculis eorum stupor , cap. 10. Mariæ pulchritudo talis erat , ut nullus è conspectu Virginis , quamvis esset pulcherima , ad concupiscentiam inflammaretur , teste Gersone serm. de nat. Mariæ confid. 3. immo etiam iis , quos inviseret , integratis insigne conferret , teste Ambrosio lib. de instit. Virg. c. 7. Judith sandalia rapuerunt oculos ejus cap. 16. idest Principis . Mariæ sandalia rapuerunt oculos Dei : ideo dicitur Cant. 7. Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis , filia principis . Judith erat mulier sancta cap. 8. mulier sancta es . Mariæ sanctitas talis est , ut in ea sit forma omnium Ecclesiarum Dei , ex Ildefonso serm. 3. de Assumpt. Judith jejunabat omnibus diebus vita sua , preter sabbata , &c. Mariæ congeminati ieunio dies , teste Ambrosio lib. 2. de Virg. Judith misit ad Presbyteros , qui venerunt ad illam : & eos sapientissime admonuit cap. 8. Maria non solùm magistra seniorum ; sed etiam , ut ait Rupertus libro 5. in Cant. est prophetissa prophetarum , & magistra magistrorum . Judith ita de se pronunciauit , Non permisit me Dominus ancillam suam coquinari , cap. 18. Maria , quæ se etiam ancillam nominat , potuit idem universalius usurpare : Munda , juxta illud Apostoli 2. Cor. 7. ab omni inquinamento carnis & spiritus ; quia , ut 2. Cor. 7. ait sanctus Thomas in 1. d. 44. q. un. art. 3. ad 3. puritas Virginis nulla D. Thom. fuit contagione peccati inquinata ; qua fuit ex peccato originali & actuali immunis . Judith de se dixit , Custodivit me Angelus eius ( Dei ) & binc euntem , & ibi commorantem , & inde huc revertentem , cap. 13. CCLIX. Marie , ut ait sanctus Bernardinus tomo 2. Conc. 51. art. 3. cap. 2. assi- stebant innumerabiles multitudines Angelorum ; quorum plurimas legiones habuit ad custodiā. De Judith dicitur , mirabantur sapientiam eius , cap. 11. De Maria dicitur scientiarum scientia est in Maria . Ita Bernardus . De Judith dictum est , non est talis mulier super terram . De Maria , nec primam similem visa est , nec habere sequentem . Ita Bernardus sermone 4. de Assumptione . Judith dictum est à Summo Pontifice Joachimo , tu eris benedicta in aeternum , cap. 15. Mariæ dictum est ab Angelo , benedicta tu inter mulieres . Judith aggressa est necem Holofernis , cum esset vidua , cap. 8. Maria aggressa est cladem inferni , tempore Passionis ; cum jam defuncto Iosepho esset vidua , ut consecraret in se statum matrimonii , virginitatis , viduitatis . Judith non pepercit animæ sua , propter angustias & tribulationes generis sui , cap. 13. Maria propter angustias generis humani non pepercit ani- mæ sua , quam doloris gladius pertransivit , Luc. 2. imo imitata aeternum Patrem , proprio filio suo non pepercit ; sed pro nobis omnibus tradidit illum , ad Rom. 8. Judith abscidit caput ejus ( Holofernis ) cap. 13. Maria contrivit caput diaboli , juxta illud Gen. 3. ipsa conseruit caput

E Mariæ cōspectu nullus ad concupiscentiam inflammabitur.

*Judith. 16.  
Cant. 7.*

CCLIX.  
*Bernard.  
Maria pluri-  
mos habuit  
Angelos ad  
custodiā.*

taum. De Judith dictum est, una mulier Hebraea fecit confusionem in domo Nabuchodonosor, cap. 14. De Maria dici pariter potest, quod fecit confusionem in domo Luciferi. Quippe, ut ait Bernardus in deprec. ad Virginem, illam horruerunt principes tenebrarum, quando viderunt præter morem armatura omni fortiore instructam contras se procedere fœminam. Judith denique dictum est, *Tu gloria Hierusalem, tu latitia Israël, tu honorificentia populi nostri.* In Mariam hæc melius quadrant; quæ, ut ait sanctus Ephrem sermone de laudibus Virginis, *est gloria Prophetarum, spes Patrum, latitia Sanctorum, honor Martyrum, præconium Apostolorum.* Si igitur Judith umbra fuit Mariae, ut dictum est; sicut Israëlitæ, qui tunc populus Dei electus, tota spes liberationis & salutis sita fuit in Judith: ita nunc electi fundant maximè suæ prædestinationis signum in adjutorio Mariæ; quæ dicitur multò magis quam Judith, *latitia Israël,* idest videntis Deum, nempe prædestinati, qui in Maria nunc lætatur spe, postea lætatur re. Per Judith fugatus est exercitus Assyriorum centum viginti millium perditum bellatorum, & equitum viginti duo millium, cap. 7. Per Mariam fugantur innumerabiles exercitus dæmonum: ita ut, si totus se effundat infernus, in eos non prævaleat pro quibus pugnat Maria. Pugnat autem pro suis devotis, sicut Judith pro populo suo. Quippe, ut ait Germanus oratione in zonam Deiparæ, *illa nequissimi hostis contra servos suos invasiones, sola eius nominis sanctissima invocatione repellens, tutos, atque incolumes servat.* Denique in omni spatio vita Judith non fuit qui perturbaret Israël, cap. 16. Non erit qui perturberet servos Mariæ, in omni spatio vita Mariæ: vivet autem in æternum.

Maria pro  
suis devotis  
pugnat.  
*Germanus.*

**CCLIII.**  
Mariæ figura  
Esther.

Maria quan-  
tum à Chri-  
sto sit dile-  
cta.  
*Anselmus.*  
*Damasc.*

Nona Deiparæ figura fuit Esther, quæ ob eximiam pulchritudinem ad conjugium Assueri, atque ad Regnum evecta, populo suo in extremum discrimin adducto, liberationem contulit & salutem. Hæc typus fuit Mariæ, ut notat sanctus Thomas in Prologo comment. in Epistolas Canonicas. Bonavent. in spec. cap. 3. & 6. Gerson tract. 4. in Magnif. Sanctus Bernardinus Senensis loco infra citando. Canisius libro 1. de beata Virgine cap. 2. & libro 5. cap. 23. Spinellus de beata Virgine cap. 24. num. 16. Serarius in Esther quest. 9. & alii. Nempe Esther pulchra nimis, & decora facie, cap. 2. Maria, ut ait Georgius Nicomed. orat. de oblat. est pulchrorum omnium ornatum. Esther placuit ei (Assuero) & invenit gratiam in conspectu illius, cap. 2. Mariæ Gabriel dixit, invenisti gratiam apud Deum. Esther adamavit Rex plusquam omnes mulieres, cap. 2. Mariam adamavit Deus supra omnem puram creaturam; &c., ut ait Anselmus libro de excell. Virg. cap. 4. Christus ostendit amorem erga matrem, quo nullum putamus esse posse maiorem. De Esther dicitur, Posuit Rex diadema Regni in capite eius, fecitque eam regnare. Maria, ut ait Damascenus libro 4. de fide cap. 15. Verè facta est *Domina omnium creaturarum;*

cum

Deuotio erga Deiparam : reprob. indeuotio. 361

cum Creatoris omnium facta est mater. Esther assumpsit duas famulas; & super unam quidem innitebatur, altera sequebatur dominam, defluentia in humum indumenta sustentans, cap. 15. Maria, ut ait Bonaventura in spec. cap. 3. Domina Angelorum & hominum designatur in Esther regina, qua in una famula innitebatur: altera eam sequebatur. Due famula sunt, Angelica, & humana natura. Humana est famula dominam sequens, in mundo colligens virtutes, & exempla Marie. Intelligentia Angelica est famula, super quam Maria inititur, in calo se Angelis sociando. Esther ducta est ad cubiculum Regis cap. 2. Maria, ut ait S. Bernardinus tomo 3. Conc. 11. art. 2. Bernard. cap. 2. quasi altera Esther de triclinio fœminarum, idest de Ecclesia militante, ducta est per totam militiam caelstis exercitus ad cubiculum Regis Assueri, scilicet summi Dei. Esther dixit Assuerus si dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi c. 7. Mariæ, vt notat Gerson loco cit. datum est dimidium regni Dei: quod distribuitur in misericordiam & justitiam, juxta illud Psal. 100. misericordiam, & judicium cantabo tibi Domine. Deus autem retenta sibi parte justitiae, totam misericordia partem reposuit in manu Mariæ. Esther dictum est à Rege, non pro te, sed pro omnibus hac lex, &c. & festinans exilivit de solio sustentans eam cap. 15. Mariæ, cum agitur de lege peccati originalis, per quam peccatum Adæ in omnes posteros transfusum est, dictum est à Christo, non pro te, sed pro omnibus hac lex. Sicut cum dicitur, pro omnibus, non inclusa est Esther in omnibus: ita cum dicitur, omnes in Adam peccasse, Maria non est inclusa in omnibus: Non enim pro ea lex, sed pro omnibus: quia Princeps legibus subditus non est: & Augusta Princeps eadem privilegia concedit, quia ipse habet. L. Princeps ff. de Legibus. Et merito, quia Rex festinans exilivit de solio suo, sustentans eam. Quippe, ut Doctores apud Bonaventuram in 3.d.2.q.2. Alii post casum ereeti sunt: Maria quasi in ipso casu sustentata est, ne rueret. Dicitur autem Rex festinans exiliisse de solio, sustentans eam: quia adjuvit eam Deus manè diluculo. Psal. 45. siue, ut alii, diluculo diluculi. Neque Deus festinans exilivisset ad sustentandum, si moram fecisset donec peccatum intraret. Esther præsignificata fuit ut parvus fons, qui crescit in fluvium, & in lucem, Solemque conversa est, cap. 10. Maria, ut ait Chrysippus Oratione ad Deiparam, est fons lucis omnem hominem illuminans: & ut Epiphanius sermone de laudibus Virg. lucis eterna mater. Per quam, ut ait Ephrem etiam sermone de laudibus Mariæ, clarissimus Sol justitiae nobis illuxit. Rogante Esther, Aman suspensus est in patibulo quod paraverat Mardochæo cap. 7. Rogante Maria, fractus est diabolus per crucem, quam paraverat Christo. Postremò Esther procedit ad pedes Regis, flevitque, & locuta ad eum oravit, ut malitiam Aman, & machinationes eius pessimas, quas excogitaverat contra

In Maria to-  
tam miseri-  
cordia par-  
tem Deus  
repositor.

Maria in  
Adam non  
Peccauit.

362 *Duodecimum prædestinationis signum*

Maria pro  
suis deuotis  
ante filium  
prosternitur.

Birgitt.

Iudeos, inberet irritas fieri. At ille ex more sceptrum aureum pra-tendit manu: quo signum clementia monstrabatur, cap 8. Maria pro suis deuotis prosternitur ante filium, offert preces ac lachrimas, orans ut malitiā Aman: id est diaboli, & machinationes eius pessimas irritas faciat. Ad quas preces diuina misericordia flectitur; & veluti moto aureo sceptro, signum clementia monstrat. Quod si Rex dixit Esther, ut scriberet sicut placebat, & signaret literas annulo Regis; id multò clariùs apparet in Maria, cui Deus tradidit veluti sigillū ad obsignandas quascumque gratias; &c, ut habetur in reuel. sancte Birgittæ libro 4. cap.74. nihil est quod non possit: quod enim vult, hoc factum est. Vnde apparet speciale signum prædestinationis & salutis in iis quos Maria, tanquam sibi deuotos, specialiter protegit: Sicut enim per Esther Iudeis noua lux oriri visa est, gaudium, honor, & tripludium, cap.8. ita ipsa Mariæ conceptio, ut canit Ecclesia gaudium annunciauit uniuerso mundo. Si tale gaudium parit Mariæ conceptio, quid assumptio, quid glorificatio, quid protectio? Si uniuerso mundo, quid fidelibus, quid clientibus, quid deuotis? His noua lux oriri videtur in Maria, multò plus quam Iudeis in Esther, per spem prædestinationis & salutis.

CCLIV. His decem figuris animatis addi potest tanquam appendix mulier visa Ioanni Apoc. 12. Quamuis enim hæc fuerit mulier imaginaria, tamen figuris animatis addi potest, quia mulier. Signum magnum apparet in celo, mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim. Per hanc mulierem adumbratam fuisse Mariam tradit Epiphanius sermone de laudibus Mariæ, Augustinus libro 4. de Symbolo ad catech. cap.1. Bernardus sermone super signum magnum Methodius in comment. in hunc locum. Vbi etiam Cæsarensis, Haymo, Ansbertus, & alii; siue per signum intelligatur miraculum, ut explicat Epiphanius; cum Maria sit cælestē prodigium, ex Ignatio epistola ad Ioannem: magnum miraculum, ex Chrysostomo sermone de Virgine: officina miraculorum, ex Damasceno orat. 1. de Natiu. Siue per signum intelligatur scopus, ut vult Viegas; cum Virgo sit scopus excoxitatus ante facula. ex Andrea Creteni Oratione de Assumptione; siue per signum intelligatur vexillum, ut volunt alii, Maria est illa mulier in qua sponsus ordinavit charitatem: siue ex Hebræo, erexit vexillum amoris; sub quo qui militant, non peribunt. Siue denique dicatur Maria signum, quia signum est suis deuotis & affeclis futuræ felicitatis ac salutis, ut mox ostendam. Porro dicitur à Ioanne hæc mulier præferre lucem stellarum, Lunæ & Solis; qui fulgore sibi inuicem aduersantur, cum Luna & stellæ noctu fulgeant, extincto fulgore Solari; Sol vero die fulgeat, extincto fulgore Lunari & stellifero. Tamē omnia hæc adunantur in Virgine; quia & iusti qui versantur in die gratia, fruuntur Solari luce

Mariæ : & peccatores qui versantur in nocte peccati, promittere sibi possunt ex eadem, & Lunæ & stellarum lucem nocturnam; ut aliquam hauiant ex ea spem salutis. Observandum hīc est, quod huic mulieri Sol non est pro corona, sed pro pallio, mulier amicta Sole, Pallium hujus mulieris est protectio Virginis, quam specialius in suos devotos expandit ; qui habent in hoc signo magno magnum etiam signum suæ prædestinationis & salutis. Quippe noctem timere non poterunt sempiternam, qui intra protectionem Mariæ, quasi intra Solare pallium, detinentur. Observandum præterea, dum dicitur hæc mulier signum magnum in calo, posse signum hīc accipi pro combinatione plurium stellarum, & sic dicitur Sol esse modò in signo Arietis, modò in signo Leonis, modò in signo Virginis, &c. Dum autem hīc dicitur signum magnum in calo, mulier amicta sole, & corona duodecim stellarum in capite eius, utique Sol describitur in signo Virginis, duodenis his stellis conflato. Quoniam verò Astrologi, ut notat Gregorius. homilia 10. in Evangelia, unumquemque nasci putant sub constitutis stellarum ; nempe illi obvenire fortunam bonam, vel malam, juxta constellationem sub qua nascitur, & quæ illi prædestinatur, dum vivit : hoc, ut falsum sit in cæteris, certè verificatur in iis qui nascuntur, & viuunt sub hac constellatione Virginis. Quippe signum Virginis benignissimos habet influxus : & Sol cum à signo Leonis transit ad signum Virginis, furorem mitigat & saevitiam, quam in Leone exhibebat. Ideo Sanctus Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 21. Sol, inquit, per Zodiacum discurrens in signo Leonis est ardentissimus: sed ingrediens signum Virginis mitigatur. Ita Sol Injustia Deus erat ut Leo rugiens, peccatores terribiliter puniens : sed in uterum Virginis intrans factus est benignus. Benignam igitur sibi promittant fortunam devoti Mariæ; quibus dominatur hoc signum Virginis. Fortunatissima constellatio, quæ felicitatem ominatur æternæ vitæ, & eam sortem, de qua dicitur Sap. 5. & inter sanctos sors illorum est. Quod significatur etiam Proverbiis 8. ubi ex persona Virginis dicitur, meum est consilium & aequitas, ex Hebreo verti potest, fortuna : quasi dicat, Deipara mea est fortuna. Et meritò, cum non solum ab ipsa pendeat prædestinatione quoad executionem, sed etiam quoad intentionem & designationem prædestinatorum, ut ostensum est tom. 2. Theol. lib. 3. q. 10. num. 12. Idecirco dicere illi unusquisque potest cum Prophetā Psal. 30. in manibus tuis sortes mea : & ipsa jure dicere potest, mea est fortuna. Neque sine mysterio factum est, ut Maria ex commoratione in Nazareth Galilæa, Galilæa diceretur: quæ vox idem sonat Nysseno orat. 2. de resurr. ac rotatrix, seu rota : quia Deipara prædestinatorum fortuna est rotatrix, imo iis est ipsa rota fortunæ; cum constellatio Virginis, ut dicebam, sit suis auspicatissima. Ab hac constellatione Virginis, quæ concepto Christo, cum esset Sol in signo

Virginis con-  
stellatio be-  
nignos habet  
influxus.

CCLV.  
Antonina.



## 364 Duodecimum prædestinationis signum

Virginis, intravit in domum Zacharia, & salutavit Elizabeth, Luc. 1.  
Ioannes adhuc in utero benignissimos habuit influxus: & ideo, ut ait  
Petrus Damian. sermone 15. Ioannem summa felicitatis immensitas  
largitus irroravit. Neque mirum, quod nato Ioanne, exclamatunt  
homines. *Quis putas puer iste erit?* Quia ex observatione genethliaca  
sapientiorum Astrologorum natus erat præsente Maria, sub constel-  
latione fortunatissima Virginis. Hæc iis prædominatur, qui affecti  
sunt erga Virginem: & sic hi signum, ac præsigillum habent in illæcius  
fortunæ quæ per æternitatem perdurat: sine qua omnis alia fortuna  
infortunium: cum qua omne aliud infortunium fortuna. De hac li-  
benter usurpo id quod dixit Philosophus Cratinus apud Stobæum  
sermone 103. *Vt in am fortunatus siam: aliam verò virtutem nullam*  
*desidero:* Quia scilicet virtutes omnes influit ipsam fortuna, quam  
suis clientibus fert Maria. Qui in hac constellatione Virginis, in hoc  
signo magno signum prædestinati agnoscunt futuræ felicitatis. Et hæc  
quoad figuræ omnes Virginis animatas.

CCLVI.

Mariæ figura  
arcus cæle-  
stis.Genes. 9.  
Bernardus.

Plinius.

Quod attinet ad figuræ ejusdem inanimatas, è quibus idem probari  
potest. Primo designata est Deipara in arcu cælesti, quem Deus post  
diluvium posuit in nubibus in signum fœderis inter se & inter ter-  
ram. Gen. 9. Ita S. Bernardinus Senensis tom. 3. ser. 1. de nom. Mariæ  
art. 1. cap. 3. *Ipsa*, inquit, *est arcus fœderis sempiterni, ut non inter-  
ficiatur omnis caro.* Porro arcus cælestis plures habet conditiones.  
Primo circuit cælum. Ideo de eo dicitur Eccles. 43. *gyravit cælum*  
*in circuitu gloria sua.* Secundo utraque cuspidè tenet terras, ac ma-  
ria: unde est illud Poëta, *ingens babit arcus.* Tertio residet in nube.  
Quarto, ex meteoristis, nubes hæc debet esse tenuis, ac levis. Quinto  
debet esse nubes torida, & madida. Sexto irradiata sole. Septimo  
imbuta varietate colorum, quos in ea nube Sol, veluti penicillo lucis  
depingit. Octauo Sole humili, id est cadente, *arcus sublimis appetet,*  
testè Plinio l. 2. c. 59. His octo conditionibus constitutus arcus signum  
est fœderis inter Deum, & terram. Hæc autem omnia apprimè  
quadrant in Maria. Si arcus circuit cælum, Maria de se etiam dicit,  
*gyrum cæli circuivi sola* Eccles. 24. Si arcus extremis sui partibus  
attingit maria, Maria ibidem dicit, & *in fluctibus maris ambulavi.*  
Si arcus in nube residet, Maria ibidem dicit, *tibronus meus in columna*  
*nubis.* Si nubes illa debet esse levem, ecce de Maria dicitur *ascendet*  
*Dominus super nubem levem.* Esai. 19. Si nubes debet esse torida,  
non deest ros in arcu Mariæ, dum dicitur, *rorate cæli desuper,* &  
*nubes pluant iustum.* Isa 45. Si nubes debet irradiari Sole, de Maria  
quoque dicitur, *mulier amicta sole.* Apoc. 12. Si arcus aureo fulgore  
rutilans colorum vndique varietate circumdatur, Maria quoque di-  
citur, *in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Psal. 44. Denique,  
si arcus sublimis appetet Sole humili: tunc Maria est sublimata,

quando sol iustitiae Christus humiliavit semetipsum ad Phil. 2. Arcus Maria fœde-  
hic ita constitutus signum est fœderis inter Deum, & terram. *Maria* signum  
quoque, vt ait Andreas Hierosol. serm. de Annunc. est divina cum  
hominibus reconciliatio. Quia, vt dicit Ephrem serm. de laud. Virg. *Ephrem.*  
*ipsa fœdus pacemque fidelibus impetrans.* Quamobrem S. Antoninus *Antoninus.*

4. part. tit. 15. cap. 44. §. vlt. loquens ex persona Virginis : *Ego,*  
inquit, *sum iuxta filium meum : ut cum Deus peccatis hominum*  
*diluvio flagellarum minatus fuerit terram subuertere, ego ut arcus*  
*appaream in conspectu eius : & cum recordatus sit fœderis, reproprie-*  
*tetur eisdem, ne mundum dissipet. Si igitur Maria ut cœlestis arcus*  
*signum generale est fœderis, & salutis inter Deum, & homines ; erit*  
*profecto signum speciale fœderis & salutis studiosis Mariæ:is nem-*  
*pe, qui specialiter huic sunt Iridi mancipati. Si Deus respiciens hanc*  
*iridem Mariæ recordatur fœderis inter se, & homines ; recordabitur*  
*vtique specialiter deuotorum Mariæ, ne dissipet eos per reprobationem :*  
*qua maxima hominum pars absorbebitur in illo vniuersali*  
*diluvio aquarum multarum, quando sancti ad eum, ut intercedant*  
*pro aliis, non approximabunt Ps. 31. Tunc quidem Christus sedebit*  
*in sede maiestatis sue. Matth. 19. sed animadueritendum à deuotis*  
*Mariæ quod iris in circuitu sedis. Apocal. 4. nulla igitur de illa sede*  
*potest prodire sententia, quam Mariæ iris non ambiat. Deuoti Mariæ*  
*cum iudicandi astabunt in conspectu illius sedis, in illa iride respi-*  
*rabunt.*

Circa hoc obseruandum est primò: quod in quo loco iris, siue *arcus*  
*cœlestis* deiecerit capita sua, terra emittit halitum suum diuinum ex  
solo conceptum, cui comparari suauitas nulla possit, teste Plinio l. 17.  
cap. 5. Quid est odor suauissimus comparatus ex hoc arcu cœlesti, nisi  
fragrantia deuotionis concepta ex Mariæ? Anima, in qua fragraverit  
hæc deuotio: signum habet quod sit terra recta, & protecta ab hoc  
arcu, & ideo odorifera. Quod si, ut ibidem subdit Plinius, hic ex  
arcu conceptus odor de terra optimè indicabit: ut scilicet terra ma-  
gis ex arcu olens sit melior, minus olens sit peior: vtique anima erit  
melior in qua conceptus ex hoc arcu spirat magis hic odor deuotionis  
erga Mariam: & sic talis maius habet prædestinationis signum, vt  
pote remotior à terra reproba, & maledicto proxima, ut loquitur  
Paulus ad Hebr. 6.

Obseruandum est secundò hoc discrimine adamantem verum dis-  
cerni ab adulterino, quod in vero elucet iris, in ficto non item: quod  
& periti testantur, & experientia comprobatur. Hoc eodem signo à  
reprobo discriminari potest electus: quod in electi corde relucet  
Maria, in reprobi corde non relucet. Hoc signo discernitur verus In vero ada-  
adamas locatus inter cœlestis Hierusalem fundamenta, omni lapide  
preciosa ornata, Apocal. 21. mante iris,  
elucet..

CCLVII.

Iris aliquot  
annis ante  
diem iudicij  
non appare-  
bit.

Obseruandum est tertio id, quod ex antiqua, ut ait, sanctorum traditione refert Auctor hist. scholast. in Genes. cap. 35. quod aliquot annis ante diem iudicij, non apparebie arcus celestis, quasi sublato foederis pignore in signum supremæ clavis. Videant hi, in quibus per aliquot annos refrixit deuotio erga Mariam, ne desinat in iis apparere cælestis hic arcus, quia imminet illis iudicium, & ultio.

Obseruandum quartò ex Riccardo Victorino in Gen. cap. 9. licet hæc iris sit signum foederis, signum etiam esse belli: cum summa, per quam sagitta emititur, obuersa sit versus cælum: ut ex hoc etiam intelligatur clientes Virginis hoc arcu pugnantes, adscribi inter eos; qui, dum regnum celorum vim patitur, violenti rapunt illud. Matt. 11. certè dū studiosi Mariæ hoc arcu cælesti inferre parant vim cælo: signum, & omen habent victoriæ, qui talem arcum ferunt ad pugnam. Hæc de cælesti arcu.

Mariæ figura  
archa Noë.  
Bernard.

I. Pet. 3.

In Maria sa-  
lus, sicut in  
area: extra  
Mariam non  
est salus, sicut  
neque extra  
arcam,  
Bona.

Mariæ figura  
scala Iacob.  
Genes. 28.

Secundò designata est Deipara in arca Noë, per quam humanum genus è diluvio evasit. Ideo Bernardus ser. de B. Maria. *Arca*, inquit, *Noë significavit excellentiam Mariæ*. *Sicut enim per illam omnes euaserunt diluvium: sic per istam peccati naufragium*. Illam Noë, ut diluvium evideret, fabricauit: istam Christus, ut humanum genus redimeret, preparauit. Per illam octo tantum animæ saluantur: per istam omnes ad aeternam vitam vocantur. *Illa facta est de lignis lenigatis, ista facta est de virtutibus consummatis*. *Illa superferebatur aquis diluuiis: ista non sensit naufragia vila vitii*. Obseruandum in hoc, quod extra arcam Noë non fuit salus; extra arcam Mariæ non est salus. In ea punci, id est octo anime salua factæ sunt, 1. Petri 3. quorquot scilicet ingressæ sunt in arcam: in hac saluantur omnes, qui per cogitationem & affectum, habitant in Maria. Ideo Virgini dicitur Psalm. 86. *Sicut letarium omnium habitatio est in te: quia securus est à diluvio, qui habitat in hac arca*. Quod si columba ramum portans olim virentibus foliis, Genes. cap. 8. signum hoc misericordiæ, & cessationis diluvii non aliis attulit quam iis, qui erant in arca; hoc vtique significatur, iis præferri ramum oliue, nempe speciale signum diuinæ misericordiæ, & nostræ salutis, qui specialiter coniuncti sunt cum Maria. Cum præsertim ipsa non sit solùm arca: sed, ut ait Bonaventura in spec. cap. 8. velut altera columba ramum olin, que symbolum est etiam misericordia, virentibus foliis portet.

Tertiò designata est Maria per scalam Iacob, per quam vidit Angelos ascendentes & descendentes, Gen. 28. Scalam hanc Deiparæ esse symbolum docent Augustinus sermone 11. Andreas Creensis, & Damascenus: ille orat. 2. de dormit. hic prima, & alii. Quia sicut per illam scalam Angeli ascendebant & descendebant; ita per hanc scalam Angeli ascēdunt offerentes Deo preces fidelium per Mariam: Angeli descendunt reportantes munera gratiarum per Mariam. Vedit Iacob

*Dominum innixum scalæ*: quia quamvis Maria sit dependens à Christo per gratiam, ideoque dicitur *innixa super dilectum suum*, Cant. 8. Christus tamen dependet à Maria per naturam: ideoque dicitur *Dominus innixus scalæ*. Deuoti Mariæ adhærentes firmiter huic scalæ, per deuotionem firmam & perseverantem erga Mariam, per eam facile ascendunt ad cælum. Per hanc enim scalā vidit Iacob Angelos ascendentēs; quia, ut ait Damascenus loco cit. *per Virginem media Damasc.* tricis munere functam homines Angelicæ vita sublimes rapiuntur in cælum. Neque mirum; quia per eandem scalam, per quam Deus descendit ad terras, homines è terra ascendunt in cælum. Ideo Augustinus serm. cit. *Per ipsam, inquit, Deus descendit interram: & per ipsam homines ascendere merentur in cælum.* Et Fulgentius serm. de laud. Virg. facta est, inquit, *Maria cœli fenestra: facta est scala cœlestis.* Quanta verò facilitate, qui hærent Mariæ, per eam, ducuntur ad cælum, ostendit reuelatio facta F. Leoni; ut habetur in Chronic. sancti Francisci part. 1. lib. 2. cap. 35. cui apparuerunt duæ scalæ, una purpurea, in cuius fastigio Christus; altera candida, in cuius fastigio Maria. Per illam multi nitebantur ascendere: plerique riebant præcipites: pauci euadebant ad culmen. Per candidam facillimus erat ascensus; paruoque nisi: qui attentabant, assurgebant ad suprema. Quo ostento significari voluit Deus nullam esse viam faciliorem salutis, quam specialem deuotionem, & affectum erga Mariam. Quippe, ut ait Augustinus in Psalm. 94. *pedes nostri in hoc itinere affectus nostri sunt.* Ascendunt igitur per scalam Mariæ, qui affectum specialem habent circa Mariam. Qui autem ascendunt per hanc scalam, signum habent sive prædestinationis & salutis, tanquam per eam facile peruenturi ad *Dominum innixum scalæ*. Nec deterrat nomen scalæ, quia tanta facilitate ad culmen dicit, ut obtineat etiam nomen pontis. Nam sicut Maria, quemadmodum ait Proclus Episcopus Constantinopolitanus, orat. de Deipara, *pons est, per quem Deus ad homines descendit: ita pons est, per quem homines ascendunt ad Deum,* Non timet voraginem fluuii, qui transit per pontem.

Quarto designata fuit Deipara per Rubum, in quo Moysi Deus CCLVIII. apparuit Exod. 3. ut tradunt Ephrem ser. de laudibus Virg. Nyssenus orat. de Christi nativitate. Andreas Cretensis orat. 2. de dormit. Bernardus hom. 2. super Missus est, & ipsamet Ecclesia in Officio beatæ Virginis. Sicut autem ibi *Dominus apparet in flamma de medio rubi;* Exod. 3. ita, ut ait Sophronius sermone 2. de Assumptione, *Virginem totam incenderat diuinus amor.* Sed, quod ad rem nostram facit, Deus cum primum signum dare constituit populo liberationis à Pharaone, & transmissionis in terram promissam, apparuit in medio rubi, *Descendi,* inquit, *ut liberem eum (populum) de manibus Ægyptiorum, & educam in terram bonam;* terram quæ fluit latte & melle. In eo rubo

Mariæ figura  
rubus Moy-  
sis incombu-  
stus.

spinorum, siue in eo rostro potius quam spineto floruit Hebreis tanquam rosa spes salutis, signum veris: & apparuit, ut ait Philo hic, pulcherrima quedam forma, nempe libertatis & salutis tessera: ut significaretur in hoc rubo ardente & incombusto Virginis collocatam esse fidelibus spem & signum liberationis à tyrannide infernali Aegyptiorum, & inductionis in terram fluentem laete & melle, nempe in gloriam. Accedenti per affectum ad hunc rubum Mariæ datur hoc signum salutis: auditque is à Deo, descendit ut liberem te, & educam in terram bonam. Id tamen aduertendum, præcipi Moysi, antequam ad rubum accedit, ut soluat calceamentum de pedibus suis; quia is reperit in Virgine signum prædestinationis & salutis, qui ad eam ita deuotè accedit, ut pedes ferat carnalibus affectibus dicalcentos. Quamobrem Bernardus sermone in cap. 12. Apoc. Solue, inquit, calceamenta de pedibus tuis: Et in uera pone carnalium cogitationum, si ad eam accedere concupisces. Subjicit Scriptura: locus enim in quo stas, terra sancta est. Nimurum sanctus erat locus ille prope rubum, in quo suam umbram magnus ille rubus undeque effudebat: quia scilicet loca, quæ sub umbra latent Mariani huius rubi, nempe sub umbra protectionis Mariæ (sunt autem maximè Congregationes & Oratoria Mariæ honori dicata) terra sancta sunt, in qua soluenda sunt calceamenta de pedibus. In hac terra, ex hoc rubo habentur faustissima nuncia terræ promissionis, quod est dicere prædestinationis & salutis. Denique mirum non est, quod primum salutis signum sit in rubo ac dumeto spinis constito. Siue quia *spina nuptiarum* facibus auspiciatissima, ut tradit Plinius libro 16. cap. 18 omen est cælestium nuptiatus. Siue quia Deipara, quæ studiosis est tanquam *plantatio rosa in Iericho*, Eccles 24. cum agitur de domando Pharaone infernali, eiusque asseclis; rubus hic ardens ad lacerandos hostes armatur spinis, ad comburendos flamma. Vtrumque igitur ex hoc rubo habentur, & salutis omen Mariæ deuotis, & ruinæ præsagium hostibus.

Plinius.

Mariæ figura  
columna in  
deserto.

Bonavent.

Epiphanius.

Andr. Cret.

Quintò designata fuit Deipara per columnam, quæ præcessit populum in deserto. Quippe nunquam defuit columnæ nubis per diem, neque columnæ ignis par noctem coram populo, Exod. 13. Ideo Bonaventura in spec. cap. 3. Maria, inquit, nobis est columnæ rubis, quia tanquam nubes protegit ab astu diuinæ indignationis, & diabolica temptationis, Maria quoque est columnæ ignis multis misericordia beneficiis nos illuminans. Hæc columnæ Deum habet; & veros Israëlitas, nempe electos, ad terram promissionis ducit per huius vitæ desertum.

Clarius Andreas Cretensis orat. 2. de Deipara, O columnæ, inquit, vivifica, non carnalem per lucem deducens Israëlem, qui fugatur; sed spiritualem, qui deducitur ad inerrantem lucem cognitionis. Sicut igitur

tur

tur Hebrei in ea columnæ nubis , & opem habebant , & omen, quod ea duce p̄eventuri essent ad terram promissam : ita quoque fideles in Maria ; iisque præcipue , qui sequuntur ductum huius Marianæ columnæ . His ipsa nunquam deest , neque in prosperis , neque in adversis ; neque dum versantur in luce gratiæ , neque dum premuntur nocte peccati : Ita ut verissimè de hac dici possit , numquam defuit columnæ nubis per diem , neque columnæ ignis per noctem . Ex illa nube erumpabant fulgura & tonitrua , vt notatum est supra n. 234 . Virgo , vt addit Epiphanius loco citato , nubes est lucida , que fulgor de cælo lucidissimum ad illuminandum mundum deduxit Christum : & tonitruum sancti Spiritus deduxit in mundum . Denique illa columnæ nubis , vt notat sanctus Bernardus tomo 3 . sermone 11 . art. 1 . cap 3 . *Bernardin.* aliquando præcedebat , aliquando sequebatur , aliquando superferebatur : vt mysticè patrocinia multiplicia indicentur erga populum electorum . In huius ergo columnæ ductu signum habetur electionis . Quippe , vt ait Bernardus super Missus est , *Mariam sequens non desperas : ipsam rogans non desperas : ipsam cogitans non erras : ipsam tenens non corrui : ipsa protegente non metuis : ipsa dñe non fatigaris : ipsa propitia peruenis.*

Sextò , designata fuit Deipara in vellere Gedeonis rore perfuso ; cùm sicca esset area , Iud. 6 . Quod vellus symbolum fuit Virginis ; in qua , vt ait Bernardus homilia 2 . super Missus est , *dissillantibus calis tota se infudit plenitudo diuinitatis : quemadmodum in Gedeonis vellis se ros cælestis infudit .* Idem tradunt Methodius orat. in hypap. Proclus Constantinopolitanus de Deipara . Ambrosius ser. 13 . & alii . Idque patet ex Psal. 17 . vbi de Christo dicitur , *Descendet sicut pluua in vellus .* Obseruandum in hoc est , quod Gedeon signum liberacionis populi accepit à vellere : *Si saluum facis per manum meam Israël , ponam hoc vellus , &c.* Et infra subditur , *signum quarens à vellere .* Sicut igitur Gedeon habuit in eo signum salutis , ita quilibet sibi in Mariano vellere signum suæ prædestinationis constituet , prout quippe affectus vel non affectus fuerit ad Mariam suæ salutis , vt Gedeon , *signum quarens in vellere .* Quippe Deus , vt notat Bernardus sermone de Aqueductu , *cælesti rore aream rigaturus , rotum vellus prius infudit humanum genus redempturus , pretium uniuersum prius contulit in Mariam .* Hoc Mariæ vellere indui quis debet , vt ex eo agnoscatur ouis , idest , prædestinatus : quid ouis Christi ille non est , qui vellere non vestitur Mariæ . Nimirum , vt ait Proclus Constantinopolitanus de Deipara , *Maria est vellus mundissimum , cælesti pluua madens : ex quo Pastor ouem indui .*

Septimò , designata fuit Deipara in Templo Salomonis , vt passim tradunt Patres . Plurima nempe sunt Virgini cum eo Templo communia . Primò , fundamentum eius Templi constratum erat lapidibus *Mariæ figura Templo Salomonis .*

AAA

370 *Duodecimum prædestinationis signum*

*3. Reg. 5.* pretiosis : Precepit Rex ut tollerent lapides grandes lapides pretiosos, in fundamentum Templi, 3. Reg. 5. Fundamentum Deiparae ; ipsa scilicet eius Conceptio, constratum fuit lapidibus pretiosis, nempe gratia, & habitibus supernaturalibus comitantibus gratiam. Neque mirum quod haec Conceptionis immaculatae priuilegia non hactenus ab omnibus agnoscantur ; quia gemmæ sunt delitescentes in fundamento : nempe lapides pretiosi in fundamentum Templi. Idcirco haec fundamenta paulatim per alia & alia decreta multo effodiuntur labore, donec veritas elucescat in tempore præordinato ; ut reuelatum scribitur sanctæ Birgittæ libro 6. reuelat. cap. 55. Secundò, Templum Salomonis totum erat aureum : nihilque erat in Templo, quod non auro tegeretur, 3. Reg. 6. Deipara, vt ait Damascenus orat. i de Nat. Templum Dei sanctum, quod Princeps Salomon, idest Christus, construxit, non auro, & inanimatis lipidibus ornatum : verum auri loco fulgebat Spiritus, pro lapidibus pretiosis margaritam Christum habens. Tertiò, erat in Templo Salomonis mensa aurea, in qua ponebantur duodecim panes propositionis, Exod. 25. quæ Leuit. 24. dicitur mensa purissima ; ita, vt notat sanctus Antoninus 3. part. tit. 31. cap. 4. §. 2. in Templo mentis virginalis fuit mensa fidei perfectissime duodecim articulorum designatorum per panes. Quarto, erat in Templo Salomonis altare aureum, 3. Reg. 6 quod appellabatur altare incensi, ex Luc. 1. Sic, vt addit idem sanctus Antoninus, in Templo Virginis fuit altare aureum summa dilectionis, cum thuribulo speciali : unde fumus aromatum, idest deuotissimarum orationum, ascendebat ad culum. Quintò, erat in Templo Salomonis candelabrum de auro mundissimo, cum lucernis septem, Exod. 25. In Templo quoque Virginis, ex eodem sancto Antonino, est candelabrum gratiae cum septem donis Spiritus sancti. Sextò, in Templo Salomonis erat velum quatuor colorum, & pulchra varietate contextum, Exod. 26. in Templo Virginis, ex eodem, quatuor virtutes Cardinales designantur per velum quatuor colorum ; quod est pulchra varietate contextum : quia Deipara est circumdata varietate, Psal. 44. Septimò, in Templo Salomonis erat propitiatorium de auro mundissimo. ex Exod. 25. utique ad propitiandum Deum, & placandam iram diuinam. Similiter non deest huic Templo propitiatorium ; quia, vt ait Methodius orat. in hypap. ipsa est propitiatorium, per quod Deus mortalibus humanam naturam induit apparuit. Octauò, in Templo Salomonis erant duo Cherubim aurei, ex Exod. 25. Tradit autem Prada in Ezechielem, ita formatos fuisse, vt unus ex vultu appareret masculini sexus, alter foemini : Sicut enim Christus designatus fuit per unum Cherub : quippe quia Isaiae 9. appellatur magni consilii Angelus ; ita Deiparam Christo similium Cherub designabat in sexu foemineo. Idcirco, si Deus sedet super Cherubim, Psal. 98. Deipara, vt ait Epiphanius sermone de

*Birgitta.**Damasc.**Antoninus.*

*Deuotio erga Diparam : reprob. inde votio.* 371

laudibus Virginis, stupendum est miraculum in cœlis alter thronus Cherubicus. Nonò, in Templo erat arca fœderis, 3. Reg. 8. in Templo Virginis est hæc arca; quia, ut ait Gregorius homilia vltima in Ezech. arca intra cœlum Redemptor noster est. Decimò, de ipso Templo Salomonis dicitur Paral. 1. cap. 25. opus grande est: neque enim homini preparatur habitatio, sed Deo. Deipara vero ita opus grande est, ut quemadmodum ait Bonaventura in spee. cap. 8. ipsa sit, qua maiorem Bonauene.  
Deus facere non potest. Majorem mundum Deus facere t: maiorem matrem, quam matrem Dei, facere non potest. Si igitur ipara, ut patet ex dictis, designata fuit à Spiritu sancto per Templum Salomonis; non minora debet habere privilegia, quam habeant Templum cætera, ac præcipue illud toto orbe augustissimum. Quod si privilegium Templi hoc est, ut maxima sit pars salutis post delictum, perfugium ad Templum; certè, qui configunt ad Deiparam peccatores, habent in hoc Templo pignus immunitatis à pœna. Porro, ingressi in Sanctuarium Templi, quod dicebatur Sancta Sanctorum, tui erant ab omni incursu; nemine audente perrumpere in Sanctuarium? Maria non solum Templum est, sed etiam Sanctuarium Templi. Idcirco appellatur ab Ildefonso sermone 6. de Assumptione, Sanctuarium, & Sancta Sanctorum. Cui, ut ait Bonaventura in Cant. Cherubim ac Seraphim incessabili voce proclamant, Sancta, Sancta, Sancta. In Maria ergo, quæ Sanctuarium est, & Sancta Sanctorum, totum reorum asylum, & spes salutis. Idcirco sanctus Epiphanius sermone de laudibus Deiparæ, Aue, inquit, um refugium, & hospitium in Hierosolymis (quippe ibi erat Solomonis Templum) ad quam configere possunt omnes peccatores: Quia scilicet nullum delictum est adeo enorme, quod configentibus ad hoc Mariæ Templum immunitatem pœnæ, ac securitatem non habeat. Ideo dicit Epiphanius, ad quam configere possunt omnes peccatores: quasi diceret, Nullum hinc, ut in cæteris Templis, delictum excipitur, quod immunitate non gaudeat. Quilibet, quantumvis facinorosus, sententiam damnationis evadit, si ad hoc toto corde configiat. Hic certum asylum, & spes salutis.

Octauò designata fuit Deipara in arca fœderis. Quæ non solum symbolum fuit Christi, ut supra dictum est cum Gregorio, sed etiam Mariæ. Methodius in hypap. & Athanasius serm. de Deipar. eam appellant arcam animatam. Ephrem orat. de Deipar. arcam veram. Epiph. ser. de Deipar. arcam spiritualem. Andreas Cretensis or. 2. de dorm. arcam super mundum, cuius figura erat arca legalis. Chrysostom. in Liturg. arcam sacrosanctam. Georgius Nicomed. orat. de obl. Deipar. arcam sanctificationis. Damascenus orat. 2. de dorm. arcam sacram, & animatam Ildefonsus serm. 1. de Assumpt. arcam noni testamenti. Ambrosius serm. 81. arcam fœderis Ex hac

A A a ij

Mariæ maiorem Deus facere non potest.

CCLX.

Ildefonsus.  
Bonavent.

In Maria certum asylum, & spes salutis.

Mariæ figura arca fœderis.

autem figura benè arguitur, quod prædestinationis signum præbea suis Mariæ. Siue quia arca fœderis idem sonat, ac arca reconciliatio-  
nis, & pacis: Ideo S. Ephrem serm. de laudibus Virg. Sue, inquit,  
*Domina, fædus pacemque tuis fidelibus impetrans.* Quid est dicere,  
*tuis fidelibus*, nisi iis, qui fideliter tibi seruiunt, idem vere douotis  
Mariae? Siue quia, sicut Iudeos in terram promissionis intrantes præ-  
cedebat arca fœderis Num. 10 ira signum habent quod intratur sunt  
in terram veram promissionis, qui ambulant post hanc arcam, se-  
quuntur ducem Marie. Siue quia, sicut circum iudeos Israëlitis aera  
Domini, ceciderunt muri Iericho; proinde sublato in edimento,  
possessio capta est terræ promissæ: ita plane contingit Dicitur studio-  
fis, qui hanc arcam suis precibus circumdabant. Ideo Damascenus, at. 2.  
de dorm. Deipar. Iubilemus, inquit, in terra Domini tota animo:  
& muri cadent Ierichuntini, contraria nostra potest rura infeste incur-  
sione. Siue denique quia in arca asseruabatur manna: ex Paulo: gloria  
autem cœlestis appellatur manna Apocal. 2. *et cœni dabo manna ab-  
sconditum*, utique manna absconditum in hac arca, cœlestem profectò  
gloriam gustabunt, qui ad arcam configiunt cœli manna gestantem.  
Maria vero, vt ait Ephrem orat. de Deipar. *Urna pulcherrima, que  
cœli manna gestat.*

CCLXI.  
Maria per  
tres virgas  
designata: ac  
primum per  
Moysis vir-  
gam.

Rupertus.

Bonavent.

Petr. Dam.

Mariæ figu-  
ra virga Aa-  
ron.

Non designata fuit Deipara per virgam triplicem. Prima fuit  
virga Moysis. Ita enim verba illa Cant. 1. *equitatui meo in curribus  
Pharaonis assimilaui te, exponuntur* Rupertus l. 1. in Cant. &  
Honorius in sigillo; qui volunt equitatum Dei contra currus Phara-  
onis fuisse virgam Moysis. Huic autem virge assimilatur sponsa,  
idest Maria: quia sicut per virgam illam miraculorum opificem con-  
tritus est Pharaonum Ägyptiis: ita per Mariam, quam officinam  
miraculorum appellat Damascenus orat. 1. de nativitate. contritus est  
diabolus cum suis. Ideo Rupertus: *Illi, inquit, signo, illi equitatui  
meo assimilaui te amica mea.* Sicut enim *virga illa (Moysis) virgas  
maleficorum, & incantatorum voravit, & omnem superbiam Ägy-  
ptiacam obtrivit: sic tu pulcherrima mulierum amica mea superbiam  
diaboli dejecisti.* Idcirco etiam S. Bonavent. in spec. cap. 3. *Virgo,*  
inquit, *est virga virtutis contra inimicos infernales: quibus magna  
virtute dominatur.* Petrus Damian. serm. de Assump. appellat Virgi-  
nem *virgam, per quam sunt mirabilia.* Sicut igitur in virga Moysi  
Israëlitæ, ita in Maria habent electi signum salutis per virgam du-  
ctricem ad terram promissionis. Quamobrem S. Ephrem. orat. ad  
Virg. *Virgo, inquit, auxiliatrix quoscumque hostiles impetus auertit:*  
*& in via salutis constituit.*

Secunda fuit virga Aaron. Hanc enim licet Rupertus l. 1. in Cant.  
& Petrus Damian. serm. de Assump. videantur confundere cum virga  
Moysis: ab hac tamen, ex communi interpretatione, distinguitur virga

Aaron, quæ miraculose dicitur germinasse Num. 17. Hanc typum Num. 17.  
suisse Deiparæ tradit Augustinus ser. 4. de tempore. Bernard. hom. 2.  
super Missus est, & Rupert. in Cant. 1. Quod autem facit ad probandum intentum, obseruandum quod virga Aaron cum germinatit,  
turgentibus gemmis esse. ut flores : qui f. dilatatis in amygdala Amygdala  
las deformati sunt. Num. 17. Maria igitur est. Aaron amygdalina prima om-  
Quippe hæc, vt notat Plinius lib. 16. cap. ima omnium floret : nium floret.  
ac proinde prænuncia est, signum regiæ clementie. scilicet, vt ait Am- Plinius.  
briodus lib. 2. de Spir. Sancta cap. 5. vi. Maria, cuius flos Chri-  
stus. Et ideo in ea signum prædestinationis habetur tanquam in præ-  
nuncia æterni veris. Nulli profecte vernabit gloria, cui per flores  
gratiatum non fuerit prænudia. Virga amygdalina hæc virga Mariæ.  
Ideo Psalm. 22. Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Psalm. 22.  
Per Virgam utique Mariam, per baculum crucis intellige. Quam-  
obrem Petrus Dam. serm. de Assumpt. In Virgine, inquit, virga, & Pet. Dam.  
baculo cruce miserorum spes, & consolatio continetur : sicut Propheta  
declarat : virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt.

Tertia virga fuit Assueri, signum regiæ clementiæ. Erat quippe Mariæ figura  
constituta hæc lex, vt quicunque non vocatus interius atrium regis intraret, absque ulla cunctatione statim interficeretur nisi forte Rex auream virgam ad eum tenderet pro signo clementiæ : Esther cap. 4. Esther. 4.  
Per hanc Assueri virgam, vt innuit S. Antonius 4. part. tit. 15. cap.  
24. § 4. designatur Maria. Nemo enim æternam mortem euadit nisi  
is, in quem Deus flebit auream virgam pro signo clementiæ, nempe  
patrocinium Mariæ. Ideo sanctus Germanus hom. de zona, nemo est, Germanus.  
inquit, qui saluus fiat, ô Sanctissima, nisi per te. Nemo est, qui libe-  
retur à malis, nisi per te. Nemo est, cuius misereatur gratia, nisi  
per te. Ac si diceret, nemo euadit mortem, nisi ad quem flebitur  
Mariana hæc virga pro signo clementiæ. Sicut igitur signum habebant  
incoluntatis, & vitæ ii, quibus dabatur osculari summitatem virgæ.  
Esther cap. 5. ita ii habent signum prædestinationis, & salutis, qui Esther. 5.  
tenero affectu feruntur in Mariam. Hoc est osculari summitatem  
virgæ quod Deus dat pro signo clementiæ. Obseruandum id, quod  
notat Hieronymus libro de nominibus Hebraicis in Daniele, quod  
Assuerus idem significat quod beatitudo. Maria igitur est virga Af-  
sueri, nempe virga beatitudinis: quia, vt ait Bonaventura in Spec. c. 6.  
per virgam ad florem, per Mariam ad Christum accedimus. Idcirco,  
vt idem addit cap. 10. si hunc florem babere desideras, virgam tuis pre-  
cibus flecte. Si flos est nimis altus diuinitate, virga tamen est flexibilis  
pietate. Hæc de triplici virga tripliciter adumbrante nobis in Maria  
signum prædestinationis & salutis.

Decimò, designata fuit Deipara per ciuitates refugii, quæ erant in fugitiuorum auxilia separata, Num. 35. Ideo Damascenus orat. 3. AAa iij

Mariæ signa  
ra ciuitates  
refugii.

## 374 Duodecimum prædestinationis signum

**Num. 35.** de dorm. dicit Virginem eusisse ciuitatem refugii omnibus conjugientibus ad illam. Et Andreas Cretensis orat. de dorm. appellat conciliationis perfugium. Habet autem multò amplius priuilegium, quām quaelibet ciuitas refugii: quia in iis nō omnia delicta gaudent immunitate; quae apud Hebreos erat valde restricta, nempe ut fugeret ad eas qui fuderit sanguinem, Num. 35. Maria vero, ut diximus ex Damasco, est ciuitas refugii omnibus confugientibus ad illam. Nullus ab ea peccator excluditur; cum ipsa sit, ut ait sanctus Ephrem sermone de laudibus Deiparæ, peccatorum hospitium; &c, ut Carthusianus lib. 2. de laudibus Virginis, singulare perditorum refugium. Ex hoc autem facile appareat ratio, cur Maria statim post Christum conceptum abiit in montana Iudea. Nempe, ut vult Toletus annot. 116. in cap. 1 Lucæ; in Hebron: quæ urbs ex Iosue 11. erat locata in montanis, &c ciuitas refugii, tanquam ciuitas Sacerdotalis. Nimirum, ut ait Philo lib. de special. leg. urbs Sacerdotalis media erat inter sacrum, prophanumque, & quasi Templum quoddam secundarium. Ad hanc ergo urbem festinans abiit Maria; ut ibi se loca. A iā ciuitas refugii spiritualis, ubi locata erat ciuitas refugii co. is. Neque mirum, quod Baptista ad ingressum Mariæ obtinuerit statim liberationem à delicto originali; quia exultans in utero, Luc. 1. &c, ut vult Chrysostomus serm. apud Metaphr. die 2. Iulii, exiliens & saltans, eo modo quo poterat, confugit saltibus ad hanc ciuitatem refugii. In hac studiosi Virginis per frequentes & feruentes erga eam actus & obsequia devotionis, sibi quodammodo domicilium statuunt. In hoc totas exercit vires diabolus, ut aliquis consueta intermittens pietatis officia erga Virginem, quasi extrahatur ab hac ciuitate refugii, ut postea nulla gaudens præteriorum delictorum immunitate, comprehensus à tareis satellitibus, ligatis manibus & pedibus mittatur in tenebras exteriores. In hac ciuitate qui degunt, possunt dicere cum Propheta Psal. 86. Sicut latantium omnium habitatio est in te. Quippe inueniuntur in Maria, ut ait Bernardus sermone in signum magnum, captiuus redemtionem, ager curationem, tristis consolationem, iustus gratiam, peccator veniam. Denique in hac ciuitate refugii habet quisque etiam perditissimum prædestinationis signum, arrham, & spem salutis. Quippe Maria ut ait sanctus Ephrem sermone de laudibus Deiparæ, spes est desperantium. Hæc quoad secundam classem ductam è Scripturæ figuris, ac symbolis, tum animatis tum inanimatis Deiparæ. Quæ omnia, ut probatum est, eò tendunt, ut ostendant studiosos Mariæ habere in ea speciale quoddam salutis omen, ac signum. Quoad tertiam verò classem, quæ dicitur à similitudinibus, nempe à rebus variis, quibus in Sacra Scriptura comparatur Maria: Decem quoque, inter alias innumerabiles similitudines, proferam, quæ idem intentum probant mirificè, quod in Mariæ cultu insit spe.

**Psalm. 86.**  
**Bernardus.**

Ephrem.

ciale signum salutis. Quoniam vero eadem sunt prædestinationis signa, quæ media, ut ostensum est supra: utique omnia ea, quæ probant in Maria esse nobis medium aliquod speciale ad salutem, probant etiam studiosos Mariæ applicantes sibi tale medium habere in Maria speciale signum salutis.

Prima similitudo dicitur à cedro, *Quasi cedrus exaltata in Libano*, Eccles. 24. Has & sequentes similitudines, saltē quoad sensum literæ secundarium, etiam intentum à Spiritu sancto, aptari Mariæ tradit sanctus Ildefonsus sermone 1. de Assumptione: &c communis sensus Interpretum, atque ipsiusmet Ecclesiæ. Deipara assimilatur cedro: quia hæc, ut norat in hunc locum Rabbanus, odore ipso fugat, atque expellit serpentes. Vnde illud Maronis Georg. 3.

*Mariæ similitudo Cedras.*

*Maron.*

*Disce & odoratam stabulis accendere cedrum:*

*Galbanteoque agitare graues nidore chelydros.*

id est, ut ibi Seruius, *serpentes, qui in aquis & in terris morantur.*

Quare & Plinius libro 24. cap. 5. *Cedri, inquit, scobe serpentes fugari.* *Plinius.*

*cerium est. Hoc mirificè quadrat in Virginem; quæ, vt ait Ildefonsus* *Ildefonsus.*

*loco citato, quotidie in terris multiplicatur, & dilatatur ut cedrus*

*Libani. Quod si cedri odor fugat serpentes; odor Mariæ fugat dæ-* *Mariam fu-*

*mones, qui chelidri quidam sunt terribiles, grassantes terra, marique.* *giunt dæmo-*

*Quamobrem sanctus Bernardus Senensis tom. 2. ser. 51. art. 3. cap. 2.* *Bernardin.*

*A Virginis, inquit, mente dæmones effugabantur: in tantum quod non*  
*auderent, nec de magno spatio illi appropinquare. Ecce serpentes ve-*  
*luti odore cedri fugatos, non solum à Maria, sed etiam ab iis qui*  
*aliquo modo olent Mariam. Quamobrem fassus est aliquando dæ-*  
*mon fugere se ab iis, qui deuotè recitant Rosarium aut Officium*  
*Virginis: quia nimirum hos serpentes fugat odor ipse deuotionis*  
*Mariæ. Sumitur ab hoc prædestinationis signum tanquam à remo-*  
*uente prohibens. Siquidem in hoc Maria Euae opponitur: nam illa*  
*serpentis afflatus dejecta est, & fugata è Paradiso, cum tota stirpe:*  
*Maria vero contrà reducit ad Paradisum se & affeclas, cum suo af-*  
*flatu serpentes fugat: Nam, vt ait Hugo Cardinalis in locum cit.* *Hugo Card.*  
*sicut cedrus odore suo fugat serpentes; ita Virgo dæmones. Ideo dicitur*  
*exaltata quasi cedrus. Quod autem additur, in Libano qui idem est*  
*ac candor, significat hos virginei cedri affectus maximè præstari iis,*  
*qui castitatis seruant candorem. Idcirco idem Hugo, sicut cedrus, in-*  
*quit, in Libano oritur & crescit; ita Virgo in candore virginitatis &*  
*innocentie.*

Secunda similitudo dicitur à cupressu. Sequitur enim, *quasi cypres-* CCLXIII:  
*fus in monte Sion. Cypressus ad multos humanæ vitæ usus est utilis.* *Mariæ simili-*  
tudo cu-  
*Ideoque dicitur à Plinio lib. 16. cap. 33. sara è cypressu questuofissima* *pressus.*  
*sylva: vulgoque datus filiarum antiquos plantaria appellasse. Nihil* *Eccles. 24.*  
*profectò nobis utilius, quam Maria, ad omnes sui studiosorum usus* *Plinii.*

*Hugo Card.* aptissima. Quamobrem Hugo Cardinalis, sicut, inquit, è cupressu sunt tabulae ad scribendum, mensa ad manducandum, lecti ad dormiendum: ita nobis Virgo in diversis necessitatibus auxiliatur: & liber est, & refectio, & quies Sed præcipue assimilatur Virgo cupressui; ex qua, ut dictum est, filiabus parentes dotem comparabant: quia animæ Virginis devoutæ in hac cupressu dotem sibi ad cælestes nuptias comparant. In hoc prædestinationis est pignus. Adde cupressum arborem esse luctuosam, ac funebrem, & prælagium funeris. Habita tamen est ut prælagium regni: quando in agro Vespasiani, ut refert Sueton, in Vesp. cupressus euulsa radicibus, in sequenti die firmior ac viridior resurrexit. Hoc enim, ut addit Tacitus, prælagium fuit grande prosperumque; & summa claritas juveni Vespasiano promissa. Similiter cupreissus hæc Mariana in animis sui studiosorum, inter temptationum procellas, viridis, ac firma, prælagium est grande, prosperumque, nempe prælagium æternæ felicitatis. Neque mirum quod cupreissus sit simul prælagium funeris, & regni: quia Maria prælagium suis est cælestis regni post funus. Ecce alterum è cupressu prædestinationis omen, & signum. Ideo additur, in monte Sion; ut significetur è Sion, & Hierosolyma terrestri Ecclesiæ militantis, transferendos fideles per Mariam ad Sion, & Hierosolymam cælestem Ecclesiæ triumphantis.

*Sueton.* *Tacitus.*  
*Mariæ similitudo palma.*  
*Isidorus.*  
*Plinius.*  
*Palma trecenta sexaginta emolumenta præbet.*  
*Bernardus.*

Tertia similitudo dicitur è palma. *Quasi palma exaltata sum in Cades.* Est palma victoriæ symbolum: Ideoque, ut S. Isidorus lib. 17. Origen. cap. 7. *palma dicta, quia manus (palmæ) vicitricis ornatus.* *Est enim arbor insigne victoriae.* Sive quia, ut notat Plinius lib. 13. cap. 4. videntur eius folia cultrato mucrone lateribus in se bifidatis, ut ostendatur ad victoriam non perveniri, nisi per gladium. Sive quia palma non cedit oneri: sed pressa resurgit veluti hostis vixtrix, qui eam conabatur opprimere, ut testis est Theophrastus. Sive denique, quia palma semper viret; ideoque præcipuum insigne est victoriæ immortalis: & Apocal. 7. de beatis dicitur *palma in manibus eorum.* Quid est Mariam *exaltari quasi palmam*, nisi præbere suis insigne prædestinationis, & victoriæ? Hujus non solùm præbet signa, sed etiam media. Tradunt ex palma trecenta sexaginta emolumenta provenire ad usum humanæ vitæ: quasi tot utilitates afferre studeat, quot anni sunt dies: qui totidem sunt, demptis intercalaribus, ut notat, & refert Bonartius in Eccles. 24. vers. 18. Nullus profectò est anni dies, in quo Mariæ devoti aliquod ex hac palma emolumentum non captent ad usum vitæ, & victoriæ spiritualis, cuius est & signum, & medium: ac proinde ipsa in suis pugnat, ipsa vincit, ipsa triumphat. Quippe, ut ait sanctus Bernardus loco citato, *Mater Domini semper contra omnes demones triumphavit.* Deipara tamen dicitur *exaltata sicut palma in Cades:* idest, ut explicat Hugo Cardinalis, in sanctitate vite,

vita: Quia licet sit hæc prima aliquod prædestinationis signum etiam peccatoribus Virginis studiolis, non tamen exaltatur hæc palma, ut certum insigne victoriae, nisi in Cades, in sanctitate vita.

Quarta similitudo ducitur è rosa: *Quasi p'antatio rosa in Iericho.* Deipara assimilatur rosæ ob fragrantiam. Quare Damascenus orat. i. de dorm. Virginem appellat *rosam*, *qua diuina fragrania omnia perfundit*: Sive quia, sicut rosa odor fugat scarabeos; ita Mariæ vel ipsū nomen fugat dæmones, quos audiui sæpius sub scarabeorum specie apparet. Ideo Germanus orat. in zona. *Tu*, inquit, *hostium nequissimorum invasiones sola tui nominis invocatione repellis*. Sive quia rosa symbolum est auroræ, quæ *Dea rosa* dicitur ab Anacreonte: Maria autem est aurora consurgens, Cant. 6. Sive etiam quia rosam è diuino nectare in terram effuso emanasse fabulantur Antiqui, ut testatur Constantinus Cæsar tom. 11. de agric. cap. 18. Mariana autem hæc rosa emanauit à cælesti gratia. Quippe in Virginis conceptu, ut ait Damascenus orat. i. de nat. natura gratiæ anteuertere non est ausa; *sed tanti super expectauit, donec gratia fructus suos* (etiam flores suos) *produxisset*. Sive denique quia, sicut rosa Regina est florum; caliculum, in quo sedet; habens pro throno, ruborem pro purpura, fila crocea pro corona, rorem pro gemmis, herbas pro ancillis, spinas pro satellitio: ita Virgo multò excellentius Regina est Sanctorum; cælum habens pro throno, Solem pro purpura, Stellas pro gemmis & corona, Lunam pro ancilla, Angelos pro satellitio. Sed quod facit ad probandum intentum, rosa hieroglyphicum erat & symbolum lætitiae, ut indicat Hieronymus tom. 1. epist. 26. cum in eâ natura veluti exultare, & ridere quodammodo prata videantur. Quamobrem Sappho apud Achillem Tatium libro 1. de Leucippe & Clitophonte, rosam appellat *florum Reginam*, *terra ornamentum, plantarum decus, prati ruborem, pulchritudinem coruscantem, terra risum*. Et Innocentius III. sermone de rosa, quæ à Pontifice tradi solet in Dominica Lætare, appellat *lætitia gaudiique prænunciam*. Ideo etiam rosas Ierichuntinas quotannis nocte Natalis Domini florere tradit Adricomius in descriptione Terræ-Sanctæ. Tum in testimonium virginici partus; cum rosa sit virginitatis ac pudoris insigne. Ideoque Columella libro 10. eum appellat *florem pudicitia plenum*. Tum in symbolum lætitiae, quæ ea nocte cœpit fidelibus efflorescere. Maria igitur assimilatur rosæ, quia suis clientibus est prænuncia supernæ lætitiae. Ideo dicitur *plantatio rosa*; sive, ut alii apud Cornelium Stirps, non vbiqne; sed in Iericho: idest interpretatur Gregorius, & alii, in Luna, ut notatum est supra: *Quia scilicet huius rosa stirpes in Luna, quasi in iis montibus floreant, quos nouo tubi specularis inuenio*. Astrologi suspiciunt in Luna. Nimurum rosa florens in terris signum est caducæ lætitiae; qui se mancipauerant ii qui dicebant, *Coronemus*.

Mariæ similitudo rosa,  
Damæ.

Germanus.

CCLXIV.

Rosa virginiæ, & pudicitis insignis.

B B b

*nos rosis antequam marcescant*, Sap. 2. Rosa verò Mariæ, cuius stirpes in cælo, præsigium est, & insigne cælestis & incorruptæ latitiae; quapropter frumenti sunt in cælo: & ideo Mariana hæc rosa prædestinationis est signum. Hoc itidem illustratur ex eo quod rosa ante peccatum carebat spinis: & ut ait Ambrosius libro 3. hexaem. cap. 11. surrexerat antea floribus immixta teneris sine spinis rosa, & pulcherimus flos sine ulla fraude vernabat: postea (post peccatum) spina serpuit. Quod scilicet adumbraret, voluptatem omnem terrenam spinarum esse aculeis circumseptam, ut minus delebet quam pungat. Contraria vero Deipara immunis semper à peccato fuit rosa sine spina: & ut ait Adam de sancto Victore in hymno Virginis, *flos de spina spina carens*. Néque mirum: cum stirpes figat in cælo. Ideo voluptatis cælestis est symbolum, quæ sola est rosa nullis immixta spinis, bonum nullis immixtum malis. Studiosi ergo Virginis suæ prædestinationis præsigium odorantur in hac rosa sine spinis, nempe in Maria, quæ est *tanquam plantatio rosa in Iericho*, id est habens stirpes in Luna: & ideo rosa hæc vera promittit in cælo, quæ stirpem habet in cælo.

CCLXV. *Quinta similitudo dicitur ex oliua, Quasi oliua speciosa in campis.*  
Mariæ similitudo oliua. Oliua, ut tradunt Scriptores sacri & prophani, symbolum erat misericordiæ & pacis, refert Valerianus in hierogl. libro 35. unde est illud Maronis.

*Paciferaque manu ramam pretendit oliua.*  
Bona vent. Idecirco post diluvium venit columba portans ramum oliua: Gen. 8. insigne diuinæ misericordiæ circa reliquias humani generis, quæ superstites relictæ erant in Noë. Si Maria est quasi oliua, utique insigne est misericordiæ & pacis: & sic signum fert prædestinationis & salutis. Potest ille sibi promittere euasione à diluvio aquarum multarum, ut dicitur Psalm. 31. cum, ut ait sanctus Bonaventura in Spec. cap. 8.

*Maria ramum oliua portet, quod est symbolum misericordiæ.* Immostudiosi Mariæ, qui plâtant per deuotionis affectum hanc oliuam in corde suo, gestant in se symbolum pacis & misericordiæ diuinæ. Hoc nempe significauit oleum, quod circa diem Christi natalem largissime effluxit trans Tyberim, ut notat Orosius libro 6. histor. cap. 20. gratia, sapientia & latitiae. quia scilicet, ut notat in hunc Eccl. locum Hugo Cardinalis, de hac oliua Maria nascitur oleum gratia, oleum sapientia, oleum latitiae. Hugo Card. Maria, quantumvis procellosa, oleo injecto, mitescere, author est Beda libro 3. histor. Angl. cap. 14. Formidare profecto non poterunt diuinæ vltionis procellam ii qui ex hac oliua exprimit oleum diuinæ misericordiæ, quo omnis tempestas sedatur. Quod si olea in somnis visa præsigium dicitur libertatis & regni, ut tradit Artemidorus de somn. inter. libro 2. utique Mariana oliua etiam summianti visa (quod solet interdum eius deuotis accidere) præsigium erit prædestinationis

& regni. Adde , olivam esse etiam victoriæ omen & tesseram ; cùm riæ omen.  
olei fons erumpens circa tentorium Alexandri, illi victoriæ porten-  
derit, teste Artiano libro 5. de gestis Alexandri. Athenis quoque olea  
victores coronabantur , ut tradit Plinius libro 15. cap. 4. Habetur  
igitur in hac Mariana oliva prædestinationis signum , quia habetur  
signum victoriæ & corona. Hoc autem præcipue Maria præstat suis  
studiosis , castitatem sectantibus. Quippe , ut notant Pierius in hie-  
rogl. lib. 53. olea puritate & pudicitia delectatur : Greci enim iubent  
olivam , cùm plantatur & legitur , à mundis pueris atque virginibus  
operandum : recordati , credo , arbori huic esse præsidem castitatem.  
Florentinus quoque libro de re rustica adeo puram esse oleam tradit , ut  
collectores non nisi puros amet : Qui , cùm ad olivationem accedunt,  
jurant se non aliunde quam ab uxore sua venire : ita fieri ut anno in-  
sequenti ubiorem proventum exhibeat. Præcipue verò aiunt Ana-  
zarbi, quæ est Cilicia civitas, oleas esse fœcundissimas : quoniam à castis  
tantummodo pueris coluntur. Hæc , quæ superstitionem olen in hac  
oliva materiali, verè & religiosè dicta sunt de Maria, quæ , ut ostendit  
se exhibet ut signum divinæ clementiæ iis præcipue , qui  
castitatem ejus imitandæ studio colunt. Nemo tamen desperet acce-  
dere ad Mariam. Non est superanda asperitas montium : quippe ipsa  
omnibus exposita est quasi *oliva speciosa in campis* : sicut Christus est  
*flos campi*, Cant. 2.

CCLXVI.

Maria simi-  
litudo plat-  
nus.

Plinius.

Sexta similitudo dicitur è platano , quasi *platanus exaltata sum iusta aquas* , in plateis. Facit ad probandum intentum , quod platani  
umbra p̄æ omnibus gratissima. Quamobrem Plato in Phædro intro-  
ducit Socratem disputantem sub umbra platani, quippe patulis diffusa  
ramis ; opacitasque illi per pulchra & amena. Plinius etiam libro 12.  
cap. 1. dicit hanc arborem *umbra tantum gratiæ ex alieno orbe petitam* ;  
gentesque *vestigal pro umbra pendere*. Si igitur Deipara assimilatur  
platano , utique ad se confugientibus suam promittit umbram , idest  
protectionem : Idem enim est vivere sub umbra alicujus, ac sub pro-  
tectione & patrocinio. Qui viuunt sub hac umbra, nulla mala formi-  
dant : Nam si umbra platani summoveri noctuas, quæ platani folio-  
rum contactum ferre nequeunt, refert Aelianus libro 1. de nat. animal.  
multò magis fugiunt infernales noctuæ ab umbra Virginis , cùm dæ-  
mones ne de magno spatio illi audeant appropinquare, ut supra notatum  
est ex sancto Bernardino tom. 2. serm. 3. 1. art. 3. cap. 2. Quod si fugiunt  
ab umbra platani ferales aves , & mortis prænunciarum non poterit sub  
umbra Virginis haberi omen æternæ mortis , & ferale signum dam-  
nationis. Adde confugientibus ad Marianæ platani umbram ab ea  
ipsa præberi munimenta ad resistendum diabolo. Quippe platanus  
folia habet rotunda ad modum scutorum, seu clypearum : quibus vi-  
detur platanus eos , quos sub umbra tegit, protegere. Quod idem

B B b ij

Hugo Card.

planè præstat Deipara. In quam quadrat id, quod de sapientia dicit Hugo Cardinalis in eum locum. Qui platanus, inquit, quot habet folia, tot habet scuta: sic sapientia ( hæc etiam adumbratur per platanum ) quot habet verba, tot habet scuta contra hereticos, contra peccatores, contra tentationes. Adde quod platanus arbor est adeo hospitalis, ut non solùm viatores sub suam umbram excipiat, sed etiam aperto sinu iis intra se domicilium præbeat. Quamobrem loco cit. refert Plinius, Licinium ter consulem cum duodevigesimo comite epulatum intra platanum; largè ipsa toros præbente fronde ab omni afflato securum, laziorem, quam marmororum nitore, & laquearium auro cubuisse in eadem. Intra ejus platani sinum excepti convivæ prope viginti. Intra hujus nostræ platani sinum si conviva totus terrarum orbis accedat, totus convivio excipietur. Quippe, ut ait Bernardus serm. in signum, *Maria omnibus misericordia sinum aperit: & de plenitudine eius accipiunt universi.* Neque verò hæc platanus cælatur in hortis, vel parteribus occlusa vel sepibus: neque necesse est, quemadmodum de materiali platano dicit Plinius, *ut gentes vestigal pro eius umbra pendant: cum ipsamet dicat, quasi platanus exaltata sum juxta aquas, in plateis.* Ita enim interpungendum: ut patet ex contextu, & consentiunt interpretes. Nimirum in plateis coram tota multitudine Iudæorum exhibuit suam umbram hæc platanus S. Latroni, cum ad Christum conversus est. Quippe observatum est, ut priore tomo notavimus, umbram Virginis circa eam horam, ante solis eclipsim, ad dexteram obversam esse, quâ latro pendebat: qui ex ea accepit faustissimum suæ conversionis, & prædestinationis præsgium, mox audiens à Christo hodie mecum eris in Paradiso. Luc. 23. Ex hac umbra igitur specialis protectionis Mariæ, habetur speciale signum prædestinationis, & salutis ab iis, qui ad eam confugientes dicere possunt cum Ieremias Thren. 4. *sub umbra tua vivemus.* Quod si Xerxes captus dicitur amore platani, quam torquibus, & armillis ornavit, ab eius umbra, & conspectu difficile se passus avelli: ut refert Ælianus lib. 2. variar. cap. 14. Felix, qui amore captus Mariæ, eamque & devotionis affectu, & laudibus prosequens, vitam transigit sub ejus umbra: à qua auspiciu caput æternæ lucis.

Bernard.

Mir' e vmbra  
S. Latroni sa-  
lutaris.Xerxes amo-  
re platani  
captus.Mariæ simi-  
litudo cinna-  
momum.  
Plinius.

Areopagi-

Septima similitudo dicitur à cinnamomo. *Et sicut cinnamomum, &c. odorem dedi.* Facile ex hoc probatur intentum de prædestinationis signo, si legatur Plinius lib. 12. cap. 19. Dicitur, inquit, *cinnamomum præstantissimum odoramentorum. Cor recreat, animique de- liquio oppressos erigit.* Iure Deipara assimilatur cinnamomo, quod teste etiam Galeno lib. de antidotis, odoratissimum est inter aromata. Odor enim, qui efflabatur ex ipsomet corpore Virginis, ut testatur in epist. ad Paulum Areopagita, abundabat fragrantia omnium odo-

rauentorum, Sed quod ad nostram rem facit, cinnamomum hoc cor recreat: nihil quod magis spem erigat delinquentium, quam vel sola cogitatio Mariæ Ideirco Bernard. horil. 2. super Missus est: Si, Bernard. inquit, criminum immanitate turbatus, conscientia fæditate confusus, judicii horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitia, & desperationis abyssu, cogita Mariam. Quasi dicat, sola memoria Mariæ, solus hujus cinnamomi odor cor recreabit: oppressumque deliquio animum eriger.

Octava similitudo ducitur à balsamo. Et quasi balsamum aromati- CCLXVII.  
zans odorem dedi. In Deiparam quadrat illud Plinii lib. 12. cap. 25. Mariæ simi-  
Balsamum omnibus odoribus prefertur, uni tantum Iudea concessum litudo balsa-  
in horto regio. Quippe ipsamet est summi regis hortus conclusus. mum. Plinius.

Cant. 4. Balsamo condiri corpora, ut incorrupta seruentur, comper-  
tum est. Deipara igitur assimilatur balsamo, quia incorruptionem  
& corpori impertitur, & menti per virtutem castitatis; quam Virgo  
præcipue amat in suis asseclis. Hæc autem magnum prædestinationis  
est signum, juxta id, quod dicitur Sap. 4. quam pulchra est casta ge-  
neratio cum claritate, &c. De quo supra. Porrò si verum est quod  
tradidit Brocardus in descrip. ter. sanc. & Adrichomius in voce En-  
gaddi, hortos regios, in quibus constitutum erat balsamum, appellatos  
vineas Engaddi; translatosque esse à Iudea in Ægyptum in gratiam  
Cleopatræ: ibique irrigatos esse à fonte parvo, uberrimè tamen  
fluente: in quo fama erat sæpe lorum à Virgine puerum Iesum, cum  
in Ægypto esset: & hunc apud incolas in veneratione habitum ma-  
xima appellari fontem Iesu; aperitur ex hoc mysterium cur sponsæ  
Cant. 1. dicatur dilectus ut botrus Cypri in vineis Engaddi, nempe  
balsami: ac proinde aperitur etiam in hoc Mariæ studiosis luce præde-  
stinationis omen, ac signum. Quia non invenitur balsamum Mariæ  
sine fonte Iesu: neque dulcem se præbet dilectus ut botrum Cypri,  
nisi in vineis Engaddi, in vineis balsami, quod nobis aromatizat  
Maria. Quippe, ut ait S. Bonavent. in spec. cap. 5. balsamum Ma- Bonavent.  
ria est unctio gratiæ, qua copiosissimè est infusa. Et, ut notat Bernar- Bernard.  
dus super Missus est, pretiosum hoc balsamum tanta plenitudine in-  
fluxit, ut copiosissimè effluat circumquaque. Non carebunt igitur qui  
accedunt ad Mariam balsamo gratiæ, quod ex ea copiosissimè effluit  
circumquaque. Hujus vel una gutta pignus est gloriæ. Non præter-  
mittam quod scribit Pausanias in Bœoticis lib. 1. viperas sub arbustu-  
balsami delitescentes eo odore mitescere, ac veneni acerbitatem de-  
ponere. Quo facile significatur vel pessimos peccatores, si ad umbram  
Virginis, ac præsertim ad sodalitia illi dicata configiant, sensim ser-  
pentinam rabiem exuere, ac peccati virus deponere, veluti viperas ad  
odorem balsami. Quippe ipsa de se pronunciat, quasi balsamum are-  
matizans odorem dedi.

B.B.b. iii.

Mariæ similitudo aspalathus.  
Aristot.

Plinius.

Mariæ similitudo myrrha.

Maria tota suauis.

Epiphan.

Ruth. 1.

CCLXVIII.

Nona similitudo dicitur ab aspalatho. Nam ubi vulgata, balsamum, legunt septuaginta quasi aspalathus. Quam lectionem amplexis sunt Lyranus, Rabanus, Cornelius, & alii. Refert Aristoteles in problem. sect. 12. num. 3. eas herbas, quas iris, sive arcus cœlestis, videtur sua extremitate contingere, odoratissimas reddi, maximè ubi Aspalathus est. Maximam ego Aspalathus cognitionem habet cum Ictide: quæ signum est divini fœderis, & clementiæ ex Gen. 9. Quando igitur Virgo sui studiosis quasi Aspalathus odorem affert devotionis; signum evidens est eō flecti Iridem divinæ clementiæ: & sic signum etiam est prædestinationis & salutis, quæ tota sita est in divina misericordia. Quod si in ea Aspalatho, in quam arcus cœli curvatur, existere suavitatem odoris inenarrabilem refert Plinius libro 12. cap. 24. multò magis in Maria, in quam Verbum utrumque cornu divinæ & humanae naturæ veluti cœlestis arcus curuavit, suavitas odoris existit inenarrabilis. Odor hic pietatis, quem Maria suis sufflat asseclis, prædestinationis est pignus, quia cœlestem redolet suavitatem. Quippe, ut Sophronius ferm. de Assumptione Virginis, ex ea fragrat odor etiam Angelicis spiritibus suavissimus.

Decima similitudo dicitur à myrrha, quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris. Myrrha amara, &c, ut notat Plinius libro 12. cap. 15. arbor est spinosa. Porro, ut ait Bernardus sermone in signum, in Maria nihil austерum, nihil terribile; sed est tota suavis. Nihil igitur habere videtur commune cum myrrha, quæ tota est amara. Adhuc tamen ita assimilatur myrrha, ut id sonet nomen ipsum Mariæ: quia, ut notat sanctus Epiphanius oratione de laudibns Virginis, Maria interpretatur myrrha maris. Quia etymologiam amplectitur etiam Hieronymus libro de nomin. Hebr. in Exodo. Myrrha amaritices cum amaritice maris conjungitur: & idem est myrrha maris, ac myrrheum mare, mare amaritudinum: Itaut possit sub typo Mariæ Noëmi dicere Ruth. 1. Ne vocetis me Noëmi, id est pulchram; sed vocate me mara, id est amaram: quia amaritudine valde replevit me omnipotens. De hac immensitate doloris & amaritudinis in Virgine, alia occasione egimus tom. 2. Theol. libro 3. q. 8. num. 10. Nunc quod facit ad probandum intentum, hæc Mariæ amaritudo dulcedinem sui studiosis prænunciat. Quippe fuit sibi amarissima, ut esset iis dulcisima, pro quibus offerens suos dolores mereatur illis æternam dulcedinem. Quod si eximia devotio erga Sanctum aliquem, præsertim martyrem poenis toleratis insignem, prædestinationis est signum, ut ostensum est cap. 9. quia supponitur à tali martyre Deo suis devotis poenas exhiberi suas, v.g. à Petro crucem, à Stephano lapides, à Laurentio prunas, ut iis impetrant auxilia efficacia ad salutem multò magis id militat in Virgine, quæ cæteros Martyres, ut probatum est tom. 1. p. 559. incomparabiliter superavit. Si tantum præsidium salu-

tis in Martyre, quantum putamus in Regina Martyrum? Quod si Virgo neque ferro confixa est, neque per carnificis insolentiam passa est, ut Martyres; id magis proficit ad probandum intentum: Tradunt enim myrrham ferri violentia expressam imperfectiorem esse, ac minoris pretii, quam quæ sponte sudat, & stillat; hancque cæteris antecellere. Quamobrem Plinius libro 12. cap. 15. de arboribus myrræ loquens, sudant, inquit, sponte priusquam incidantur, statim dictam, cui nulla præfertur Myrrha ergo mortificationis in Virginem, Myrrha mortificationis in Virginem perfectissima & electa: ac proinde Maria de se dicit, quasi myrrha electa dedi suavitatem odo-  
ris: scilicet, ut notat Hugo Cardinalis, per sponte eam mortificacio-  
nem: quia myrrha, quæ sponte emanat, pretiosior est & electa dicitur: Hugo Card.  
qua vero per incisionem corticis manat, vilior est, & minoris efficacia:  
nempe martyrium spontaneum Virginis, in quo neque feruum, ne-  
que vlla incisio intercessit, aliorum omnium martyrio est longè præ-  
stantius: quod violentia tyrannorum per vulnera, quasi myrrham  
inciso cortice, expressit. Ex hac igitur myrrha electa, ex hoc mari  
myrrheo si Deipara vel ynam stillam pro suis offeret, efficax erit ad  
impetrandum, ac merendum iisdem de congruo æternam gloriam.  
Ita fiet ut hoc quod mare myrrheum fuit Mariæ, vertatur asseclas in  
mare lacteum, iuxta id quod dicitur Deuter. 33. *inundationem maris Deut. 33.*  
quasi lac sugent. Gutta lactis, quam Maria filio largè sugendam de-  
dit, si aspergatur huic mari mirrheo, euadet nobis lacteum æternæ  
felicitatis, iuxta id quod dicitur Is. 66. *ad ubera portabimini*; cum  
scilicet prædestinati ex vberibus diuinæ essentiæ sugent lac beatitatis.  
Hoc autem potissimum ii sibi polliceri possunt à Deipara, qui in hac  
vita aliquid eius myrræ degustant, per spontaneas mortifications in  
eius honorem suscep-  
tas, puta per ieiunia Sabbatorum, & in quibus-  
cunque vigiliis Festorum Virginis, per abstinentiam à carne certis  
hebdomadæ diebus in eius honorem assumptis: & quod maximè  
omnium præstat, per spontaneam continentiam à voluptatibus car-  
nis; cum mirrhæ potissimum corpora incorrupta seruentur. Hanc  
voluntariam mortificationem Virgo suos edocet asseclas: quippe la-  
bia eius lilia distillantia myrrham primam, Cant. 5. In hac myrrha  
electa reperient ii suæ electionis auspicium. Atque hæc est postrema  
similitudo ex iis decem, quas ab Eccl. 24. decerptas, Ecclesia, in festo  
Assumptionis, Deiparæ applicat. His liber addere, in gratiam studio-  
forum Virginis; decem eiusdem membra, quæ in Canticis laudat  
sponsus in spôsa. Cuius typo semper ibi adumbrari Deiparam author  
est Rupertus in Cant. &c libro 7. de gloria Trinitatis cap. 13. Andreas  
Cretensis orat. 2. de dorm. Gulielmus, Honorius, Hailgrinus, Car-  
thusianus, & communiter interpretes in Cant. Inter quos Aponius,  
qui ante octingentos circiter claruit, pronunciat infelicem, qui



*Ex membris sponsæ g' o· ræ pignus deducitur.* *hoc non credit.* Ostendam breuissimè membra sponsæ, quæ non sine magno Spiritu sancti mysterio describuntur, oinmia gloriæ pignus, beatitudinis omen: spem salutis exhibere: vt meritò possint ea sibi statuere Deiparæ studiosi suæ prædestinationis signum.

*Cant. 7.* Primum, & præcipuum membrum est caput cum suo capillamento: *Caput tuum est Carmelus, coma capitis tui purpura Regis iuncta canalibus,* Cant. 7. Dicitur *caput ut Carmelus.* In quem locum Guelmus: *Mens, inquit, in Virgine Matre monii comparatur propter excellentiam gratiæ.* Comparatur autem Carmelo, qui mons, vt notat Theodoretus, & alii, amoenissimus est, & floribus coronatus; vt è suo capite, tanquam è florentissimo monte, exhibeat suis Virgo ferta numquami marcescentia, semper florida beatitatis: *Come capitis, sicut purpura Regis.* Ecce Deipara è suo capite vnâ cum coro purpura exhibet & regnum. Quippe, vt ait Ambrosius in Psal. 118. serm. 17. *ipsa tanquam bene merita Regina Christi sanguine coronatur:* qui purpura est, quia Reges facit, & meliores Reges, quibus Regnum donat aeternum. Quod autem additur, iuncta canalibus, significat, vt ait Guelmus, *quod tinturam illam Regalis indumenti, quæ facta est in Passione, illico sequuta est abundantia gratiæ, que per aquam signatur.* Clarius prædestinationis omen inuenitur in spôlæ crinibus, si legamus cum Septuaginta *Rex ligatus in canalibus:* Christus enim ita ligatur flexibus crinum, idest, vt Rupertus explicat in Cant. 4. cogitationum Virginis, vt quidquid illa ad suorum clientum salutem excogitat, ipse cogatur exequi tanquam Rex ab ea ligatus in suis crinibus, & suis cogitationibus alligatus.

*Cant. 4.* Secundum membrum sunt oculi, *Oculi tui columbarum,* Cant. 4.

*Valer.* Nemo ignorat columbam symbolum esse felicitatis. Quamobrem Valerianus in hierog. lib. 22. adnumerantur, inquit, columba inter eas alites, quæ Regibus auspicia faciunt. *Hinc Aenee columba gemina à matre in auspicium missæ;* & Cesari originem inde trahenti prospero fuerunt ostento. Gemini sponsæ oculi, quasi columba gemina a m. tre in auspicium missæ iis, qui filiali affectu Virginem prosequuntur; auspicium utique sunt regni & futuræ felicitatis. Hoc insinuat à Davide Psal. 67. *penna columba deargentata & posteriora dorſi eius in pallo e auri,* per quod significatur omen futuræ felicitatis. Quippe, vt ait Augustinus in eum Psalmum, *posteriora sunt in auro:* quia anima, postquam de corpore exiit, super aurum lucet in charitate, quæ nunquam excidit: hic argento splendens, ibi auro. Oculi igitur Mariæ per columbas argenteas simul & aureas designati, & præsentem felicitatem ominantur, & futuram, iis præsertim quos Maria benignè intuens, quasi oculis aspicit columbinis. Quamobrem Anselmus apud sanctum Antoninum. 4. part. tit. 15. cap. 14. §. 7. necesse, inquit, ve i& ad quos Maria pro eis adnoscans convertit oculos, insiftentur & glorificantur

*Mariæ oculi æternæ felicitatis auspicium.* Psal. 76.

*Augustin.* Anselmus. *Augustinus in eum Psalmum, posteriora sunt in auro:* quia anima, postquam de corpore exiit, super aurum lucet in charitate, quæ nunquam excidit: hic argento splendens, ibi auro. Oculi igitur Mariæ per columbas argenteas simul & aureas designati, & præsentem felicitatem ominantur, & futuram, iis præsertim quos Maria benignè intuens, quasi oculis aspicit columbinis. Quamobrem Anselmus apud sanctum Antoninum. 4. part. tit. 15. cap. 14. §. 7. necesse, inquit, ve i& ad quos Maria pro eis adnoscans convertit oculos, insiftentur & glorificantur

rificantur: Quia scilicet Mariæ oculi sicut columbae: eius nempe, quæ visa est à Davide argenteis pennis, dorso aureo, felicitatem afferens iustificationis in pennis argenteis, glorificationis in dorso aureo: ideo ut ad quos conuertit oculos, necesse est ut iustificantur & glorificantur.

Tertium membrum est *nasus sicut turris Libani*, quæ respicit contra Damascum, Cant.7. Mysterium in hoc latet, quod Adam post peccatum expulsus est à Paradiso in agrum Damascenum: ibique pœnitentiam egit peccati, vixit, sepultusque est, ut tradunt aliqui. In Virgine igitur habetur turris præsidii contra Damascum: & contra id quod post ejectionem è Paradiso ibi sedem fixit, peccatum. Quippe, ut notat hic Theodoreetus, *Damascum pro impietate frequenter ponit scriptura: ut Isaia 8. auferetur fortitudo Damasci.* Qui pugnat ex hac turri omen habet victoriæ. Siquidem hic, ut notat Gulielmus in hunc locum, *clementia piæ matris, quæ se propitiariam pentibus exhibet, insigniter commendatur.* Nasi quippe officio huiusmodi odores. Quid autem preces piorum nisi odores quosdam suauissimos dixerim? Dicitur autem *turris Libani*, quod idem sonat ac turris candoris: quia; ut notat idem Gulielmus, fabricauit Deus, candidatis suis (prædestinatis) hanc turrim fortitudinis à facie, inimici. Turrim fiduciae contra faciem Damasci; idest propria matris clementiam illis ad magnum, certumque munimen attribuit. (Quid est magnum, & certum munimen, nisi magnum, & certum pignus salutis?) Hac est ergo *turris Libani* fortis munitio candidatorum, ne quando dicat inimicus prænali aduersus eos: & denigrati nitorem eorum. Turris ista respicit contra Damascum. Respicit enim piè, quos respicit muriendas. Sed toruo, & terribili oculo respicit contra Damascum: ut areatur ab his; quos illa tuendos suscipit. Quid clarius pro prædestinationis signo in iis qui sub tutela latent Mariæ?

Quartum membrum sunt genæ. Sicut fragmen malipunici, ita & gena tua. Cant.4. Ex his genis Virginis & munimen habemus, & pignus salutis. Primo quia in colore sanguineo, qui habetur in fragmine mali punici, referuntur sanguis Christi: quem, si ille cælat in venis, Maria prodit in genis omnibus exhibendum. Ideo Gulielmus: *Cum filius, inquit, dicit matri sue, sicut fragmen mali punici gena tua, indicat pudorem in genis, colorem referentem cruxis; cuius effusio mundi redemptio exitit.* Secundo, quia malum punicum fractum purpuram exhibet in granis coronam in cortice: qua solum malum punicum, inter poma cætera, coronatur. Ecce nobis in genis Mariæ regni cælestis pignus; purpura, & corona: ideoque dicuntur referre mala punica Paradisum: *Emissiones tue Paradisus malorum punicorum.* Cant.4. Nonne suis Maria Paradisi dat pignus, quæ in genis

CCLXX.

Cant.4.

Mariæ genæ

pignus exhib-

ent salutis.

Gulielmus.

CCC

386 *Duodecimum prædestinationis signum*

exhibit paradisum? Idcirco dicuntur genæ sicut fragmentū mali punici : quia cum duplex sit Ecclesia, triumphans, & militans ; genæ Virginis comparantur Ecclesiæ triumphanti, quæ alterum quali fragmen est Ecclesiæ militantis. Hæc animadversio est Martini Delrio : qui, genæ, inquit, triumphantis Ecclesiæ non integro malo punico comparantur, sed fragmini : quia fragmen alterum est Ecclesia militans. Genæ igitur Virginis sunt fragmen mali punici : quia Ecclesiam tantummodo præferunt triumphantem. Quod testatur Areopagita in epist. ad Paulum, ubi affirmat se ductum ad Deiformem præsentiam altissime Virginis, non potuisse tanta felicitatis insignia sustinere : quoniam nulla videri potest major gloria beatorum. Ecce aspectus & genæ Virginis nihil aliud præferunt quam Paradisum, beatitudinem, gloriam.

*Cantic. 4.*  
In Mariæ labiis salutis auspicium.  
*Josue 2.*

Quintum membrum, quod in Virgine commendatur à sposo, sunt labia : *Sicut vitta coccinea labia tua, Cant. 4.* Clarius Septuaginta, *funiculus coccineus labia tua.* Arcanum in hoc latet mysterium, ad indagandum in Virgine nostræ prædestinationis auspicium. Alludit profecto ad funiculum coccineum, quem Rahab visa est suspendere in fenestra ad signum suæ salvationis, & omnium ejus domesticorum. *Signum fuerit funiculus iste coccineus, & ligaveris eum in fenestra, Josue cap. 2.* Rahab autem in hoc typum Mariæ gessisse ostendimus supra num. 249. Suspendit Rahab funiculum coccineum in fenestra domus : suspendit Maria funiculum coccineum in fenestra oris. Illa in signum salutis sibi, & domesticis, incensa Iericho subduce Iesu filio Nave ; hæc in signum salutis sibi & devotis, incenso orbe, sub judice Iesu filio Dei. Ideo Mariæ dicitur, *funiculus coccineus labia tua*, signum in iis præfereus salvationis omnibus domesticis suis. Est animadversio Theodoreti in hunc locum : ubi, per funiculum, inquit, *coccineum in memoriam redigit Rahab : quæ ejus figuram gerebat in veteri Testamento. Etenim ipsa quoque habuit signum salutis funiculum coccineum, quem suspensum dimittere visa est è fenestra.* Hoc signum sponsus in ore sponsæ collocat : quia scilicet verba prudentia ex ore Virginis, & voces internæ, quibus suos alloquitur, sunt tanquam funiculus coccineus prænuncians, & promittens salutem. Ideoque subditur, *& eloquium tuum dulce : quia dulcedinem spondet æternæ vitæ.* Quod idem innuitur Psal. 44. dum Virginis dicitur, *diffusa est gratia in labiis tuis.* Gratia enim, quam fundit in corda eorum qui eam audiunt, funiculus est coccineus, vexillum & signum salutis : cum gratia sit semen & pignus gloriæ. Idcirco Rupertus in hæc verba, *Labia eius sicut vitta coccinea,* dicit Virginem in ista gratia esse cæteris omnibus incomparabilem, post dilectum suum : cui specialiter Spiritus sanctus in Psalmo dicit, *Diffusa est gratia in labiis tuis.* Quod si ex ore Herculis catenas prodisse aureas ad ligandos animos

Delrius.

*Cantic. 4.*  
In Mariæ labiis salutis auspicium.

*Josue 2.*

Theodor.

*Psal. 44.*

Rupertus.

autumarunt antiqui, teste Valeriano in hierogl. libro 3. ex ore Virginis *funiculus coccineus* prodire dicitur non ad ligandos animos, sed ad soluendos; cum signum sit libertatis filiorum Dei. Ex alio etiam capite hic *funiculus coccineus* prædestinationis signum adumbrat, & promissionem gloriae: quippe solemne fuit apud Hebræos hereditatem appellare nomine funiculi, ex quo terram promissionis mensi sunt funiculis. Ideoque dicit Psalm. 77. *sorte diuinitis eis terram in funiculo distributionis.* Quam consuetudinem consumpsisse ab Ægyptiis author est Hieronymus in cap. 3. Ioëlis. Quamobrem dicitur Deut. 32. *Iacob funiculus hereditatis eius,* neimpe Domini; idest hereditas Domini. Et Psalm. 15. dicitur à Dauid, *funes ceciderunt mihi in præclaris;* etenim *hereditas mea præclara est mihi?* quia scilicet, ut dicit Psalm. 72. *pars mea Dens in æternum.* Funiculus igitur hic è Deipara labiis prominens, Deum ut hereditatem promitti: & terram vere promissionis metiendam, pro cuiusque meritis, & maximè pro cuiusque affectu in Virginem, funiculo isto coccineo qui pendet ex ore Virginis: quasi danda sit vnicuique ea portio gloriae, quam illa suo ore statuerit. Dicitur autem funiculus hic coccineus: tum quia, ut ait Nyssenus hom. 7. in Cant. per coccineum ad sanguinem Christi per quem redempti sumus, respicitur: quem Christo communicatum à matre æquum est dispensari à matre. Tum quia funiculus hic coccineus est veluti vexillum purpureum: sub quo prædestinati hinc militant, ibi triumphant. Nimis Christus est Dux, Maria vexillifera: atque adeo ii primum expectant à Christo, qui militant sub vexillo Mariæ. Quamobrem Bernardus sermone 4. in Salve. Mariam alloquens, *Tu,* inquit, *ve-* *Bernard.* *xillifera in nobis, vexillifera Regis te ducente pro nobis.* Nempe è labiis Mariæ prodit signum, & vexillum salutis. Labia igitur Mariæ *funiculus coccineus:* ut qui signum suæ prædestinationis indagat, illi *signum* *fit funiculus iste coccineus.*

Sextum membrum à sponso laudatum in Virgine, est collum: *Si-* *cum turris Dauid collum tuum, que est adificata cum propugnaculis,* Cant. 4. In hac turri præsidium etiam peccatores reperiunt: quippe Maria, ut ait Hailgrinus, fuit à Christo vero Dauid fabricata, ut peccatoribus esset refugium & munimen. Propugnacula huius turris sunt gratia, quibus peccatores protegit, & inimicum expugnat. In Maria igitur signum prædestinationis inueniant etiam peccatores, modò configuant ad hanc turrim: quandoquidem, ut dicitur Cant. 4. *mille clypei* pendent ex ea omnis armatura fortium. *Millenarius numerus,* ut ait Gregorius libro 9. Moralium cap. 2. *pro universitate solet in-* *telligi. Mille clypei,* omnes clypei: quia scilicet contra omnes dæmonum tentationes, contra omnium vitiorum insultus, contra omnes animi passiones reperitur clypeus in Maria. Ideo Bernardus hom. 2. *Bernard.* Super Missus est: *Si iactaris, inquit, superbia vndis, si ambitionis, si*

Psalm. 77.

Deut. 32.

Psalm. 15.

Psalm. 72.

Nyssenus.

CCLXXI.

Cant. 4.

Mariæ col-

lum turris

præsidii pec-

catoribus.

Hailgrinus.

Gregorius.

CCC ij



detraktionis, si emulationis, voca Mariam. Si iracundia, aut auaritia, aut carnis illecebra naticulam concusserit mentis, respice ad Mariam. Si criminum immanitate turbatus, barathro cœperis absorberi tristitia, cogita Mariam. Ecce in hac turri contra omnes hostes mille clypei, omnes clypei. Idcirco subdit, *omnis armatura fortium.* Illi igitur fortitudinem & victoriam sibi præmittant, qui clypeis armantur ex hac turri. Ideo idem Bernardus sermone 4. super Salve, *Ex te, inquit, prodiit omnis armatura fortium: quia nihil est virtutis, quod ex te non resplendeat.* Et sanctus Thomas opusc. 8. *Mille,* inquit, clypei pendent ex ea; quia in omni periculo obtinere potes salutem à Virgine gloriofa. Observandum etiam est, quod dicuntur solùm clypei *omnis armatura fortium*, non enses, non iacula, non arma alia offensiva: quia certamen, quod gerunt electi, totum positum est in tolerantia, non inferendo malum, sed preferendo, iuxta illud Luc. 21. *in patientia vestra possidebitis animas vestras.* Denique adeo verum est reperiri in Maria *omnem armaturam fortium*, vt ipsem Christus ad pugnandum contra diabolum, quando carnem suscipit, arma suscepit ex Maria. Ideo Methodius orat in hypap. *Tu, inquit, potentem illum corpore, quasi panoplia (hoc est omni armorum genere) induis;* per quem ignita omnia maligni tela extinguntur. Si Christus ipse, prædestinorum caput, arma sumpsit ex Maria: si in ea est *omnis armatura fortium*; vtique Mariæ deuoti, qui ex ea clypeos sumunt, fortes sunt, & electi: qui vero non armantur ex Maria, imbecilles sunt, & reprobati. Ex accessu igitur ad Mariam maximum habetur prædestinationis signum, quia in Maria habentur omnia contra hostes arma, omnia prædestinationis media, & præsidia.

Ex Maria  
Christus ar-  
ma suscepit  
ad pugnan-  
dum cum  
diabolo.

Cant. 8.

Mariæ vbera  
tresses dum  
nos lactant,  
& muniant.

Isa. 8.

Tertull.

Septimum membrum, de quo ipsamet Deipara gloriatitur, sunt vbera, *Ego murus, & vbera mea turris,* Cant. 8. vt non decesserit collo, tanquam turri David præcipua, duæ hinc inde turriculae, siue ad ornamentum, siue ad munimentum: quod ii qui ad Mariam confugiunt, inueniant vndique tressus, è quibus hauriant spem salutis. Dicuntur autem ipsamet Mariæ vbera tressus; quia suos lactando protegit, protegendo lactat: dum iis & munimentum exhibet, quo eripiat ab æternâ morte; & alimentum præbet, quo alat ad æternam vitam. Lactauit Maria corporaliter Christum: & fuere illi matris vbera sicut turris, dum adhuc lactans inter ipsamet turrita vbera debellauit diabolum. Ideoque dicitur Isa. 8. *Antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariae coram Rege Assyriorum.* Quæ de uictoria Christi pueri conuersione trium Magorum reportata à Diabolo explicant Athanasius libro de Incarnatione Verbi cap. 1. & Tertullianus libro 3. contra Marcionem cap. 3. & libro contra Iudeos cap. 9. Dum penderet Christus inter materna vbera, vt idem Tertullianus loquitur, *vagitu erat infans ad arma*

convocaturus, & signum belli crepitacilla veluti tuba daturus. Quippe ea de Gentilitate victoria non parta est à Christo in ligno Crucis, sed Maria in suo gremio matris. Quod passim notarunt Patres. Chrysologus homilia 8. in Matth. Invenerunt, inquit, Magi puerum cum Maria, qua eum in suo gremio collocavit. Ambrosius sermone 1. de Epiphania, Mater partui molli blanditur gremio, cum adorandum Magis ingerit. Idem notant Hilarius homilia 1. de Epiphania, Emilianus & Euthymius in cap. 2. Matth. ut mitum non sit appellari à sponso Mariæ ubera turres, inter quas Christus puer victoriam de Gentibus reportavit: cùm nondum suum funderet sanguinem, sed dum Mariæ lac sugeret. Lactat nunc quoque Maria spiritualiter suos lacte spirituum consolationum; dumque eos inter lactandum victores reddit diaboli, præstat utique iis ubera sicut turres. Quamobrem Gulielmus in hunc locum, Ego, inquit, murus, & ubera mea turris: id est tanta fortitudinis facta sum, ut omnibus ad me confugientibus non tantum murus sem ad muniendum, sed & mater ad nutriendum: & talis mater, cuius ubera sunt sicut turris, cuius maternum pectus non tantum parvulos nutrit, sed etiam dum adhuc in nutrimentis sunt & minus apti ad prælium, hostibus inaccessibiles faciat; cùm creverint fiducialiter processuros ad campum, non tantum carnem & sanguinem, sed & spiritualia nequitæ ad prælium provocatueros. Ecce in uberibus omen victoriae. Non arcentur ab his devoti Virginis, etiam peccatores. Nempe ad hoc duo gestat ubera, ut unum justis, alterum peccatoribus præbeat. Ideo Riccardus Victorinus, Brata Virgo, inquit, habet duo ubera gemina dilectionis lac fundentia, quia reis impetrat veniam, & justis gratiam. Porro numquam siccantur lacte hæc ubera: neque unquam iis deest lac uberrimum misericordiae, quo succurrat miseria. Quamobrem Hugo de Sancto Victore: Vbicunque, inquit, fuerit miseria, tua & currit & succurrit misericordia. Adeo ubertate replentur ubera tua, ut tacta alicuius miseria notitia, lac fundant misericordiae: nec potes miserias scire, & non subvenire. Præterea, tanta velocitate currit Maria ad præbendum suis lac prædictum misericordiae, ut rurus ejus ubera comparentur à sponso hinnulis capreæ: duo ubera tua, sicut duo hinnuli caprea, Cant. 4. quia illa ubera exiliunt ad lactandum velocitate hinnulorum. Quod advertens idem Riccardus, hinnulorum, inquit, velocitati comparantur; quia velocius occurrit eius pietas, quam invocant; & causas miserorum anticipat. Quod si per duos Virginis ubera accipientur, ut vult Rupertus, Mariæ maternitas & virginitas; utroque hoc ubere suos illa nutrit, & pascit. Quippe maternitatem ad impletandum pro suis: virginitatem exhibit ad eosdem purificandos. Quocirca studiosi Virginis, cùm carnalibus tentationibus infestantur, solent ad puritatem Virginis configere, signando ter lumbos, & dicendo, per immaculatam Conceptionem,

Ric. Vict.  
Mariae ubera  
numquam  
siccantur.  
Hugo Vict.

Cant. 4.

CC c iii

CCLXXII. purissimam Virginitatem tuam manda cor . & carnem meam. Quod experti testantur presidium esse contra has tentationes præsentissimum , euadente Virginitatis vbera in turtim , qua arctetur impuritas. Idcirco assimilantur etiam vbera Virginis hinnulis capreae , qui pascuntur in liliis : quia eos maximè Virgo in suis claudit vberis , quasi intra se gestans , qui pascuntur inter candidissima lilia castitatis. Vbera igitur Mariae signum prædestinationis suis exhibit : tum quia media iis fuerunt salutis , ac proinde signatum quia vbera , quibus hic Deipara suos lactat , præstagna sunt cælestis beatitudinis. Quippe deuotos Virginis , quos illa hic suo pascit lacte , Christus in caelo admotus ad mammillas diuinæ essentiae pascet æterno lacte. Ideo ait Riccardus Victorinus , per hinnulos hos ( qui ad Mariae ubera hic pendit ) intelligi hominum animas ad cœlum translatas ubi Christus pascit hinnulos cælesti laete.

Octauum membrum à sposo in sponsa celebratum , est venter :  
*Cant. 7.* Venter tunc aceruus tritici , vallatus liliis , Cant 7. In hoc magnum  
*Matth. 13.* Deipara præfert suis prædestinationis indicium ; quia nomine tritici  
*Maria ele-*  
*ctos gestat*  
*in utero.*  
*Epiphanius.*  
*Bernard.*  
*Valerian.*  
*Ambrosius.*  
*Epiph.*  
*Basilius.*

veniunt electi , sicut nomine zizaniae reprobri , ex Matth. 13. Colligite Zizania , & alligate ea in fasciculos ad comburendum : triticum autem congregate in horreum meum. Venter ergo Mariæ aceruus tritici : quia ipsa electos omnes tanquam vera mater gestat in utero. Quamobrem Epiphanius , sermone de laudibus Deiparæ , ipsa , inquit , Verbum veri granum frumenti suscipiens , eius manipulos germinauit , nempe electos cæteros. Quod clarius tradens sanctus Bernardinus Senensis tomo 3. ser. 6. art. 2. cap. 2. Virgo , inquit , omnium electorum salutem viscerissime expetiit , ita ut omnes , tanquam verissima mater filios , in suis visceribus baiularet. Qui igitur filiali affectu prosequuntur Mariam tanquam matrem , signum prædestinationis in hoc habent , quod eos Maria gestat in utero tanquam filios , proinde tanquam electos. Quippe venter eius aceruus tritici , idest cumulus electorum. Dicitur etiam vallatus liliis , quia lilyum est spei symbolum. Quapropter in moneta Antonini Pii , refert Valerianus in hierogl. lib. 55. ex una facie sculptum apparebat lilyum : ex altera , inscriptio , spes perfecta. Venter igitur Mariæ vallatur liliis ; vt iis , quos ipsa materno gestat affectu , spem perfectam faciat æternæ vitæ. Potest etiam dici Mariæ venter aceruus tritici vallatus liliis : quia in ventre illo virginico compactus est panis ille Eucharisticus , quo nutrimur ad æternam vitam. Quippe , vt ait Ambrosius libro de instit. Virg. cap. 14. in Virginis utero aceruus tritici germinabat. Hoc granum omnes homines perpetua cælestium munierum esca saturauit. Et Epiphanius sermone de laudibus Mariæ , Virginis , inquit , uteruus panem vitæ Christum per nouem menses decoquendum accepit. Basilius etiam Seleuciæ Episcopus orat. de Annunc. Virgo , inquit , cælestem panem , qui fidelibus in cibum

& potum exhibetur, vero complexa est. Venter igitur Mariæ exhibit suis prædestinationis pignus, dum euadens acerius tritici exhibet panem vitæ. *Vallatus liliis*, veluti candidis hostioliis circumseptus: quæ, dum præferunt speciem liliæ, & spem & odorem afflant immortalitatis. Ideo Eucharistiam appellat Ambrosius, *lilium in quo est splendor aeternitatis*: nimur, qui manauit hunc panem, vivet in aeternum, Ioan.6. In hoc igitur aceruo tritici nutrimentum à Maria exhibetur nobis aeternæ vitæ: in hoc liliovallo spes nostræ prædestinationis figuratur.

Nonum membrum, quod sponsus in sponsa prædicat, est vmbilicus: *Vmbilicus tuus crater tornatilis, numquam indigens poculis,* Cant.7. Sicut adumbrat Eucharistiam sub specie panis in ventre, *Venter tuus acerius tritici*; ita eamdem sub specie vini in vmbilico, *Vmbilicus tuus crater tornatilis.* Alludit ad quod dicitur Pro.9. *Sapientia miscuit vinum*; siue, vt alii, *miscuit in craterem vinum*, & proposuit mensam. Quamobrem Ambrosius de instit. Virg. cap.4. *Verè crater tornatilis, è quo in craterem unum.* Ex hoc craterem in aureos Ecclesiæ scyphos transfunditur sanguis sub specie vini, idque indeficierter, ac perenniter: & ideo dicitur *crater nunquam indigens poculis.* Quamobrem Gulielmus, nunquam, inquit, *indigens poculis*; quia quotlibet inde hauriant, *Gulielmus.* & quantumlibet hauriant, nequit exhauiiri. In hoc ergo etiam Maria prædestinationis affert pignus, iuxta id quod dicitur Ioan.6. *Qui Ioan.6. manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam:* dum Maria in ventre carnem, in vmbilico exhibet sanguinem. Vtrumque conjunxit Zach. cap.9. *Quod est bonum eius, & quod est Zach.9. pulchrum eius?* Frumentum electorum, & vinum germinans Virgines. Frumentum electorum: & ideo Mariæ dicitur *venter tuus acerius tritici.* Additur præterea, *vinum germinans virgines:* & ideo dicitur *vmbilicus tuus crater tornatilis, numquam indigens poculis.* Et ratio est, quia sicut *caro Christi est caro Marie*, vt ait Augustinus sermone de Assumptione; ita sanguis Christi est sanguis Mariæ: quia, vt ait Emissenus hom. i de Natiuitate Domini, *sanguinem, quem etiam pro matre obtulit, de sanguine matris accepit.* Et ideo in sacro Altari non solùm Christi, sed etiam Mariæ carnem haurimus & sanguinem. Quod Mariæ deuotis speciale affert perceptione Eucharistica voluntatem, & speciale spem salutis; tanquam Mariæ quoque carni & sanguini concorporatis. Quamobrem Petrus Dam. serm.45. cùm dixisset manare aliquid ex vberibus Virginis, & in carnem verti Salvatoris; mox subdit, *Illud absqueulla dubietate, non aliud, nunc de sacro Altari percipimus: & eius sanguinem (Mariæ) Sacramentum nostra redēptionis haurimus.* Ideo sicut Eucharistia per manna signatur; ita ipsamet Virgo manna dicitur. Quare Ambrosius in Ps.21. *Ambrosius.*

## 392 Duodecimum prædestinationis signum

Ipsam, inquit Mariam manna dixerim, quæ velut celitus veniens curætis Ecclesiæ populis cibum dulciorum melle defluxit. Si igitur in Eucharistia, ut canit Ecclesia, futuræ gloriæ nobis pignus datur; Mariæ umbilicus crater tornatilis exhibet nobis prædestinationis signum in poculo Eucharistico. Ideo Alanus in eum locum, Mariæ, inquit, umbilicus plenus poculis mundo propinans vinum salutis, vinum letitiae, poculum vita. Et ante illum Gulielmus, umbilicus ille, inquit, virgineus vitam mundo quasi crater tornatilis propinanit. Ex hoc craterे spes hauritur salutis.

*Alanus.*

Mariæ umbili- gnum in poculo Eucharistico. Ideo Alanus in eum locum, Mariæ, licus præde- inquit, umbilicus plenus poculis mundo propinans vinum salutis, vinum stinationis letitiae, poculum vita. Et ante illum Gulielmus, umbilicus ille, inquit, signum ex- virgineus vitam mundo quasi crater tornatilis propinanit. Ex hoc cra- hibet.

*Cant. 7.*

Decimum membrum sunt femora, Iunctura femorum sicut monilia; sive, ut alii, sicut torques, Cant. 7. Ita enim legunt Ambrosius, Gregorius, & alii, ubi aliqui codices, iuncturae femorum tuorum,

Maria, quos spiritualiter generat, ornat & coronat.

*Ambrosius.*

Per femora spiritualia, ut notat Alanus, generatio spiritualis intelligitur: sicut per femora corporalia generatio corporalis. Iuncturae

igitur femorum Virginis sicut monilia; quia eos, quos Maria spiritualiter generat, quasi monilibus ornat, & coronat. Quamobrem Ambrosius libro de instit. Virg. cap. 4. Quam pulchra, inquit, illa, que

*CCLXXIII.*

in figura Ecclesie de Maria prophetata sunt: si tamen non membra corporis, sed mysteria generationis eius intendas: Dicitur enim ad eam; Moduli femorum tuorum similes torquibus. Et infra; Sicut victores solent secularibus præliis strenuorum virorum donatas torquibus honoreare cervices; ita ingum nostrum tenauit, ut fidelium colla virtutis insignibus coronaret. Coronis igitur assimilat Mariæ femora sponsus, & torquibus triumphantium: quia iis, quos tanquam sui studiosos specialius pia mater gestat in femore, pollicetur torques aureos ac triumphalia ornamenta. Quando, ut notat idem Ambrosius in Psal.

116. lerm. 17. Sponsæ femora ornamenti pretiosissimi comparantur, & torquibus triumphantism. Ex his omnibus iam habentur membra omnia, quæ à sponso describuntur, in Virgine non aliud exhibere quam prædestinationis auspicia, æternæ salutis pignora, victorias, coronas, triumphos; ut non immerito dicatur tota eius statuta assimilata palme, Cant. 7. Quo significatur Mariam, quanta quanta est, præmonstrare victorias, & præmium ipsum cælestis. Ideo Cassiodorus

*Cassiodorus.*

in eum locum. Palma, inquit, vietricem onerat manum: & ideo præmium illud significat, quod victoribus sanctis in celestibus dandum est.

Quid clarius, ad ostendendum nostræ prædestinationis signum reperi in Maria? Denique nihil in ea aliud contineri, præter victorias & triumphos, satis indicauit sponsus, cum dixit, Quid videbis in Sunamite nisi choros castrorum? Cant. 7. Castra quidem propter auxilium, quod Maria fert in hac vita pugnantibus: choros, propter cantica & pæanas, quæ Maria præbet triumphantibus. Idcirco Theodoretus:

*Cant. 7.*

Quid videbis, inquit, in Sunamite nisi choros castrorum? Ex castris enim sunt chori. Nam, ut addit Honorius, cum in castris virtutis vicerint

*Theodor.**Honor.*

vicerint milites , peana canentes redeunt ; & choros ducentes vittoriae  
præconium celebrant. Ideo quicquid est in Maria, castra sunt, & chori :  
castra in præsenti vita ad pugnandum , choros promittentia æternæ  
vitæ ad canendum. Dicitur autem non videri in Maria nisi choros ca-  
strorum; non autem dicitur castra chororum : quia ita illa certum fert  
suis alleclis prædestinationis auspiciū, ut in iis prius videantur cho-  
ri , quām castra ; antea triumphus , quām pugna. Hæc ex Canticis:  
qui totus liber , ut ait Andræas Cretensis in Cant. Virginem premon-  
strabat. Multa de Virgine tanquam prædestinationis prænuncia ē sa-  
cris literis hausimus, plura prætermisimus : quippe, ut affirmat sanctus  
Vincentius serm. 2. de Nativitate Virginis : *Maria in omnibus libris  
sacrae Scripturae, & in omnibus Canticis, immo etiam in singulis versibus  
directè vel indirectè, mysticè designatur.* Atque hæc quoad probatio-  
nem ē Scripturis.

Probatur idem secundò ex Patribus: quorum testimonia quamplu-  
rima ad teximus Scripturis ; alia intermiscenda sunt rationibus : hîc  
paucissima feligemus.

Primum testimonium sit celeberrimum illud Germani Constanti-  
nop. sermone de zona Virginis , ubi , si tu , inquit , nos deserue-  
ris , quidnam de nobis fiet , o sanctissima Deipara , spiritus & vita  
Christianorum : Quomodo enim corpus nostrum vitalis signum opera-  
tionis habet respirationem : ita sanctissimum tuum nomen , quod in ore  
servorum tuorum versatur assidue , in omni tempore , loco , & modo , vi-  
ta & latitiae non solum est signum ; sed etiam ea conciliat , & procurat .  
Sicut igitur respiratio causa est , & signum vitæ corporalis : ita af-  
fectus in Mariam causa est & signum vitæ spiritualis , nempe vitæ  
gratiæ , ex qua vita gloriæ. Observandum est dici nomen Mariae , quod  
in ore servorum tuorum (devotorum Virginis ) assidue versatur in om-  
ni tempore , loco , & modo signum esse vitæ. Quapropter magnum præ-  
destinationis signum est apud Virginis studiosos assidue habere in ore  
Mariam : sive eam laudando , sive precando , sive alias propter eam  
obtestando , sive ejus auxilium iis imprecando , sive ad ejusdem amo-  
rem & studium alios cohortando: quia nomen Mariae assidue in ore ser-  
vorum suorum versari , signum est vita. Quod si per momenta fit res-  
piratio ; & si intervallo temporis aliquo prohibeatur , signum est &  
causa mortis: idem proportionaliter censeri debet de nomine Mariæ,  
ita ut saltem dies non transeat , absque eo quod servi Mariæ aliquo ex  
prædictis modis , etiam apud alios Mariæ nomen non spirent: præser-  
tim inserendo in aliorum auribus atque animis Mariæ laudes , & stu-  
dia in Mariam. Denique , ut ait Bernardus serm. 2. super Missus est , Bernardus.  
*Maria non recedat ab ore , non recedat à corde :* quia scilicet respiratio  
fit ore & corde. Non prætermittam hîc, quod narrat Antonius de Ba-  
linghem in Ephemeris de B. Virg. die primo Nouemb. nempe reper-

D D d

Canticorum  
liber totus  
Virginem  
prædestina-  
trat.  
Andr. Cret.  
Vincent.

Maria patro-  
cinium si-  
gnum esse  
prædestina-  
tionis ē Pa-  
tribus proba-  
tur.  
Germanus.

Mariam assi-  
due in ore  
habere, præ-  
destinatio-  
nis signum.

394 *Duodecimum predestinationis signum*

Mariae  
causidam  
religie.

Inter Iesu &  
Mariæ nomi-  
na spiritus  
semper da-  
cendus: &  
extremus  
mittendus.

Maria expe-  
ctatio prä-  
miorum.  
Augustinus.

Bernardus

In Maria to-  
ta ratio no-  
stra spei.

CCLXXIV.

nam fuisse in Insula Iaponia anum quendam ita suæ superstitioni ad-  
dictam, ut singulis diebus Amida nomen pronunciaret centies qua-  
drages millies. Quod ut exequi posset, solem surgendo præveniens,  
antelucanas horas occupabat. Hæc postmodum ad Christi fidem tra-  
ducta, totidem vicibus, nempe centies quadragies millies, Iesu &  
Mariæ nomen quotidie proferebat. Profecto non plures respitabat:  
ut nuper in extremo terræ margine una impleret neophyta, quod tot  
ante seculis Germanus Episcopus docuit, de respiratione assidua in  
nomine Mariæ. Iure Bonaventura in Psalm. *Respirate*, inquit, *ad*  
*eam perditii peccatores*. Inter hæc eadem dulcissima nomina Iesu &  
Mariæ non modo spiritum ducere, sed etiam extreum spiritum du-  
cere (quod vehementer optare, & enixè à Deo petere, adhibito in-  
tercessore Iosepho, solent viri pij) maximum duco prædestinationis  
auspicium. Quippe inter vitalia nomina intercedere non potest mors  
nisi vitalis. Ita non solum signum vitæ est, juxta testimonium allatum  
Germani, in hoc nomine respirare, sed etiam expirare.

Secundum testimonium est Augustini ser. 2. de Domin. Annunc.  
ubi, *Tu es, inquit, spes unica peccatorum: in te nostrorum est expecta-  
tio premiorum. Quid est expectatio premij, nisi prædestinationis  
auspiciu?*

Damasci.

Tertium est testimonium Damasceni in Annunc. Dei Genitricis,  
Spem, inquit, tuam habens, ô Deipara, servabor: defensionem tuam  
possidens, non timebo. Persequar inimicos meos, & in fugam vertam  
habens ut thoracem protectionem tuam, auxilium tuum: nam devotum  
tibi esse est arma quedam salutis, que Deus iis dat, quos vult saluos  
fieri. Ita Damascenus apud Binettum in tessera num. 12. Hoc testi-  
monio nihil clarius.

Quartum testimonium est Bernardi sermone de Nativit. Virg. ubi,  
*Si quid, inquit, spei in nobis est, si quid salutis ab ea (Maria) noveri-  
mus redundare. Si tota spes salutis in Maria, utique majus aut minus  
prædestinationis signum est per majorem, aut minorem accessum ad  
Mariam. Clarius idem sermone super Missus est, Hæc, inquit, pec-  
catorum scala: hac maxima mea fiducia: hac tota ratio spei mea. Si  
Bernardo tota ratio, sive totum fundamentum spei est Maria, aperte  
hinc colligitur, quod totale fundamentum salutis reponi debeat in  
protectione Mariæ: non quod excludatur Christus, ut imperite ca-  
lumniantur heretici; sed quod Maria sit fundamentum immediatum,  
Christus ultimatum: sicut illa, ut ait idem Bernardus sermone in  
signum magnum, *mediatrix ad mediatorem*.*

Quintum testimonium est ejusdem serm. 2: de Pentec. *Ad illam*  
(Mariam) *sicut ad medium, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum cau-  
sam, sicut ad negotium seculorum respiciunt & qui in celo habitant, ut  
resarciantur: & qui in inferno (in inferno loco Purgatorii) ut eripian-*

*De votio erga Deiparam : reprob. inde votio.* 395

tur : & qui praeceperunt ut Prophetæ fideles inueniantur : & qui sequuntur, ut glorificantur. Respicere igitur in Mariam, quod fit siue imitando, siue deprecando, habet pro fine glorificationem : & sic prædestinationis est signum; sicut iis, quibus inter medias tempestatēs conspicendum se præbet stella polaris veluti commonstrans portum, habent in ea signum salutis. Idcirco : ut monet idem Bernardus sermone 2. super Missus est, *Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum: respice stellam, voca Mariam.* Quemadmodum igitur tota nauigantium spes posita est in ligno & in stella ; ita tota viatorum spes est posita in cruce, & in Maria. Quod animaduertens Innocentius, apud Bonaventuram in spec. cap. 3. *Quibus, inquit, auxiliis possunt naues inter tot pericula pertransire usque ad littus?* Certè per duo, per lignum & Stellam : ideo per fidem crucis, & per virtutem lucis, quam peperit nobis maris stella Maria.

Sextum testimonium est Anselmi apud Bonaventuram in spec. Virg. cap. 5. *Sicut, o beatissima Virgo, omnis a te auersus, & a te despectus necesse est ut intereat; ita omnis ad te conuersus, & a te respectus, impossibile est ut pereat.* Hoc testimonio nihil illustrius. Quippe Anselmus pronunciat verè studiosos Mariæ, quos illa benigniore censetur respicere oculo, impossibile esse ut pereant. Ad hoc explicandum, apposite facit quod refert sanctus Epiphanius in Physiologo c. 23. eccl. Epiph. quandam auem charadrium appellatam, hac proprietate præditam, quod si quis morbo laboret, sitque hominis ægritudo lethalis, prospicuum suum auis ab illo auertit : sin vero morbus vita securitatem promittat, tunc auis in ægrum intendit visum, & vicissim æger in auem. Signum igitur futuræ mortis est auersio prospectus ab ægro ; signum futuræ salutis est prospectus auis in ægrum, ægni in auem. Hoc, quod ibi Epiphanius Christo applicat, aptissime quoque quadrat in Virginem. Signum quippe æternæ mortis & reprobationis, est neque benignè respici a Maria, neque vicissim deuotè respicere Mariam : & sic, ut dictum est ex Anselmo, *omnis ab ea auersus necesse est ut intereat.* Contra vero, cum Maria in hominem intendit oculos, & vicissim homo in Mariam ; tunc, sicut ibi ex Epiphano vita securitas promittitur, ita hic *omnis ad eam conuersus*, ac proinde respiciens Mariam, & ab ea respectus, impossibile est ut pereat : & sic habet signum potissimum prædestinationis. Exemplum huius etiam peti potest a sacris literis : Nam ex Dei mandato imago serpentis erecta est ; quam, cum percussi aspicerent, sanabantur, Num. 21. Serpens autem ille non solùm Christi, ut habetur Ioan. 3. sed etiam Mariæ typum gessit. Quippe, ut notauit Clemens Alexandrinus in adhort. ad Gentes, erat serpens fœmina ; quam cum aspicerent, sanabantur. Quod non sine mysterio factum est ; ut significaretur, iuxta testimonium Anselmi, conuersum ad Mariam, impossibile esse ut

In ligno crucis, & stella  
Marie via-  
torum spes  
polita.  
Berardus.  
Innoc.

Anselmus.

Num 21.  
Serpens an-  
eus Mariæ fi-  
gura.  
Clem. Alex.

D D d ij

*pereat.* Et ratio à priōri est, quia qui respicit Mariam, respicitur à Maria, ex cuius oculis hauritur salus. Quamobrem eadem Virgo, ut habetur in revelat. B. Gertrudis libro 4 cap. 53. dum caneretur Salve Regina, deventumque esset ad ea verba, illos tuos misericordes oculos ad nos converte, Hi sunt, inquit, misericordissimi oculi mei, quos ad omnes me invocantes possum salubriter inclinare: unde & uberrimum fructum consequuntur salutis aeternae. Et hoc est, quod modō diximus ex Anselmo, impossibile esse ut pereat respectus à Maia. Respicit autem specialiter suos clientes ac devotos, qui eam specialiter respiciunt, ut dictum est. E quibus infert Mendoza in Viridario libro 2. probl. 9. periculosa non esse, sed securam hujusmodi loquutionem, Impossible est damnari eum, qui beatam Virginem colit: Quia scilicet conformis est propositioni supradictæ Anselmi, & intelligitur in sensu composito cum gratia congrua & efficaci, quam Virgo suo patrocinio suis cultoribus impetrat.

Gulielmi  
Par. *Septimum testimonium sit Gulielmi Parisiensis de Rethor. divina cap. 18. ubi ostendens quanta prædestinationis fiducia reponi possit in patrocinio Virginis, Adibo te, inquit, immo etiam convenientiam, gloriosissima Dei Genitrix, quam Matrem misericordia, & Reginam pietatis vocat, immo clamitat omnis Ecclesia Sanctorum. An poteris denegare peccatoribus interpellationis tuae gratiam apud benedictum filium tuum. Tu, cuius gratositas nunquam repulsam patitur, cuius misericordia nulli unquam defuit, cuius humilitas nullum unquam deprecantem, quantumcumque peccatorem, despexit? Totum quod habes gratia, totum quod habes gloria, & etiam hoc ipsum quod es Mater Dei, si fas est dicere, peccatoribus debes. Cui igitur dubium esse potest quin preces tuas, quantumcumque necessaria esse possunt, peccatoribus debeas? Non denegabis ergo mihi quod debes: quin potius superaddes, maiora mihi impendens quam debeas. Et intendo quod maiori instantia ac devotione orabis pro me, quam ego auderem petere: & maiora etiam impetrabis mihi, quam petere presumam. Et infra post multa: Necesse ut totam te possideat misericordia. Ne steteris igitur pro iustitia contra illam: & propter hoc ne allegaveris illam (iustitiam) contra me, qui soli misericordia tuae, post filium tuum, innitor: spemque meam, post illum, totaliter in ipsa posui atque fixi. Hoc de spe salutis post Christū totaliter deposita in patrocinio Virginis haurire potuit Parisiensis ex sancto Francisco Assisinate, de quo ita Bonaventura in eius vita cap. 9. In Matre Domini post Christum præcipue fidens, eam sui & suorum Advocatam constituit. Si spes salutis à Gulielmo Parisiensi Episcopo, post Christum, totaliter deposita est in Matia: si fiducia præcipua Francisci non collocabatur in munere contemptu, non in tot. asperitatibus pœnitentiæ, sed in Matre Domini; perspicuum est haberi speciale signum ac spem salutis ex eo quod quis specialiter adha-*

CCLXXV. Bonavent.

Reuel. B.  
Gertr.Mariae stu-  
diosos animi  
possibile sit  
damnam.Gulielmi  
Par.

rescat Mariæ. Quod comprobauit ipsemet Franciscus, dum suos affectos, qui cadebant è scala rubra, in cuius culmine Christus erat, ad Scalam albam mittebat, in cuius fastigio erat Maria: per quam omnes ad celum ascendebant incolumes, ut notatum est supra.

Octauum testimonium sumitur ex reuelatione facta sanctæ Birgittæ, quæ habetur libro 6. reuel. cap. 10. vbi ipsamet Deipara tam alloquens, *Nullus est inquit, adeo maledictus, qui, quandiu viuit, careat misericordia.* *Nullus est ita alienus à Deo: nisi omnino fuerit maledictus, qui si me invocauerit, non revertatur ad Deum, & misericordiam habeat.* Idem reuelauit eidem Birgittæ sancta Agnes lib. 4. reuel. cap. 11. vbi; *Sicut, inquit, Sole illuminantur, & inflammantur cœlestia & terrestria; sic ex dulcedine Mariae nullus est, qui non per eam si petitur, pietatem se ferat.*

Nonum testimonium sumitur à reuelatione facta sanctæ Catharinæ Senensi: quam Aëternus Pater alloquens, *Maria, inquit, unigeniti Cath. Sen. Filii mei gloria Genitrici à bonitate mea concessum est, propter incarnationis Verbi reverentiam, ut quicumque etiam peccator ad eam cum deuota veneratione recurrit, nullo modo diripiatur à dæmonie infernali.* Recursus & configium ad Virginem eo modo, quo pat est, signum est quod talis deuotus non diripiatur à dæmonie: & sic, quod saluabitur. Ideo sanctus Ephrem de laudibus Virginis, eam appellat *spem desperantium, portum naufragantium, & auxilio destitutorum unicam adiutricem.* Quod non præstabit sperantibus, quæ etiam adiuuat desperantes.

Decimum testimonium conflatum ex dictis eorum Patrum, qui Mariæ appellationem tribuunt Paradisi. Sanctus Iacobus in Liturg. appellat *Paradisum spiritualem.* Andreas Cretensis orat. de Annunc. intellectualem viuidi salutis nostra ligni *Paradisum.* Basilius Seleuciac Episcopus orat. in Annunc. perpetuo virentem castitatis *Paradisum,* in quo vita lignum planatum omnibus fundit fructum salutis. Damascenus orat. de dorm. *Paradisum, in quo sublata est condemnatio.* Bonaventura in spec. cap. 5. *Paradisum Dei in benedictionibus multiplicum deliciarum.* Procopius in Genesim, Secundum *Paradisum, in quem descendit Deus.* Quod autem maius prædestinationis signum, quam per deuotionis affectionem iungi Mariæ, quod est jungi cum paradiſo? ideo Augustinus sermone 10 de tempore, appellat Mariam *Augustinum. terram promissionis, ex qua exploratores in signum possessionis bottum vuæ attulerunt, Num. 13.* Sicut, inquit, *vua illa Christum figuravit; ita & terra promissionis Maria videtur imaginem prætulisse.* Sicut per quadraginta duas mansiones deuentum est ad terram promissionis: ita per quadraginta duas generationes deuentum est ad Mariam, ut patet ex Matth. 1. *Liber generationis Iesu Christi &c.* Abraham genuit &c. Quod expendens Hieronymus epistola ad

Birgitt.

Maria n. min. excludit à misericor- dia.

Cath. Sen.

Maria pri- ligium ab æ- terno Patre concec-

Maria Para- diſi appella- tiones attri- butæ.

Augustinum.

Maria per terram pro- missionis adumbrata.

Hieronymus.



Fabiola de quadraginta duabus mansionibus: *Quadraginta duæ inquit, mansiones, per quas Israëliticus populus venit ad Iordanem, sunt quadraginta duæ generationes Abraham usque ad Christum: in quo numeri Sacramento verus Hebreus, qui de terra transire festinat ad celum, terram reprobmissionis ingreditur.* Nec mirum si in huius numeri mysterio perueniamus ad Regna celorum, sub quo Saluator à primo Patriarcha peruenit. Iam igitur quodammodo peruenit ad Regnum celorum: qui per affectum habitat in Maria. Idcirco dicitur Psal 86. *Sicut latitium omnium habitatio est in te.* Quod Ecclesia aptans Virgini, *Sicut, inquit, latitium omnium nostrum habitatio est in te,* sancta Dei Genitrix. Iure sicut latitium: quia per hanc inhabitationem in Virgine, per spem salutis hauritur latitia Paradisi. Quippe Deipara, ut ait Hieronymus de laudibus Virginis apud Binetum in tesseru num. 31. *Tresaurus est omnis latitia, origo nostra felicitatis, custos æternæ vitae, Paradisus cœlestis æterni Patris.* Et, ut addit Damascenus orat. de Assumptione, *inxhaustum est gaudii pelagus, unica mœroris obliteratio.* Denique non immerito ab Epiphanio orat. de Arm. appellatur radix gloria. Hæc pauca delecta seorū ex Patribus. Quoad rationes, sit

CCLXXVI.  
Rationes pro  
prædestina-  
tionis signo  
in affectu  
Mariæ repre-  
sito.

Augustinus.

Prima ratio à priori. Quotiescumque datur medium necessarium; aut saltem valde conducens ad finem: quod magis acceditur ad tale medium: maius signum habetur afectionis futuræ finis. Sed Maria est medium necessarium; aut saltem valde conducens ad finem salutis. Ergo quod magis ad eam acceditur, maius signum habetur afectionis futuræ finis. Per affectum autem erga Mariam acceditur ad Mariam. Quippe, ut ait Augustinus enarrat. in Psalm. 94. *Pedes nostri in hoc itinere affectus nostri sunt. Prout quisque affectum habuerit: ita accedit, vel recedit.* Maior probatur, quia afectionis finis pendet à mediis. Ergo, quod magis acceditur ad media necessaria aut valde conducentia ad finem; magis acceditur ad finem. Ergo in hoc accessu ad media, habetur & causa & signum afectionis futuræ finis. Quod vero Maria tale sit medium in ordine ab finem salutis, probatur, quia per illam dantur omnia dona gratiae: quæ sunt media planè necessaria ad salutem, ut ostensum est tomo priore libro 6. q. 38. num. 19. & 30. Sicut igitur Maria se habet in ratione medii: ita se habet in ratione signi iis qui sibi applicant tale medium, impetrando, & merendo eius patrocinium speciale.

Confirmatur primò ex propinquitate, quam habet Maria ad finem. Quia hoc postulat ordo hierarchicus, ut ea, quæ sunt remotiora à fine, subordinentur illi, quod est proximus fini. Sed Deipara est proximior fini: cum ratione maternitatis Dei attingat Christum, qui est principium, & finis prædestinationis omnium aliorum. Ergo ordo hierarchicus postulat, ut cæteri prædestinati ad eundem finem, in hoc

subordinentur Deiparae, quae est proximi orbi fini. Hæc autem subordinationis maximè apparet in Deiparae studiis: qui ad eam conseruant, in ea spem collocant, ab ea regi se sint. Ergo etiam in his maximè apparet accessus ad prædestinationis finem: ac proinde in his maximè apparet prædestinationis signum.

Confirmatur secundò ex contrarietate, quam habet Maria ad omnia, quæ sunt impeditiva hujus finis. In hoc autem, præter superiori adducta, advertenda est Mariæ singularis potentia contra dæmones. Nam contra exercitus dæmonum immitti solent exercitus numerosiores Angelorum, juxta id quod dicitur 1. Reg. 4. *Plures nobiscum sunt, quam cum illis.* Sed contra omnes omnium dæmonum vites sola satis est Maria: sive quia, ut notant Bernardus in deprec. ad Virg. innumerabilium beatorum spirituum multitudinem ad eius ministerium delegatam fuisse non ambigitur: atque adeo nunquam potest prodire in aciem ita sola, ut Angelorum exercitibus non sit stipata. Sive quia ipsa etiam sola habet vites integræ exercitus: & ideo Cant. 6. dicitur terribilis ut castrorum acies ordinata. Quare Bonaventura in spec. beatæ Virginis, lect. 2. ex D. Bernardo: *Non sic, inquit, timent hostes visibiles castrorum multitudinem copiosam: sicut aërea potestates Mariæ vocabulum, patrocinium, exemplum. Fluunt sicut cera à facie ignis, ubi inveniunt hujus nominis recordationem, devotam invocationem, sollicitam imitationem.* Iure ergo dicitur ut castrorum &c.

Adeo dæmonibus terribilis, ut, quemadmodum affirmat Riccardus Ricc. Vict.

Victorinus in Cant. 4. cap. suo 26. ad eam dæmones accedere, eamque tentare non præsumperint. Dicitur quidem de Christo Matth. 4.

*Accedens ad eum tentator: sed ad Mariam dæmones, ex Riccardo, accedere non præsumperunt: quasi magis sibi à Maria timerent, quam à Christo:* Non quod illa potentior; sed quia, cum Maria sit pura creatura, Christus sit homo Deus; majori sibi ducunt contemptui, dum vincuntur à pura creatura, & fœmina, quam dum subduntur homini Deo. Ideo maximè timent congressum cum Maria, experti ejus tot viætias, quot pugnas. Immo congressuros in deserto dæmon cum Christo, hæc illum cogitatio deterrebat, quod congregiebatur cum filio Virginis. Quod notans sanctus Maximus hom. i. de jejun. *S. Maxim.*

*Animabat, inquit, dæmonem præsumere congressum partus fœmineus: sed terrebatur virginitas parientis.* Ita dæmon etiā in Christo exhortebat umbram Mariæ. Præterea, adeo terribilis fuit dæmonibus, ut non solum ad eam tentandam accedere non præsumperint, ut dictum est ex Riccardo: sed etiam, ut addit sanctus Bernardinus Senensis tom. 2. serm. 5 i. art. 3. cap. 2. non ause sint in modico respicere mentem ejus, nec de magno spatio illi appropinquare. Denique adeo Maria dæmonibus est terribilis, ut, quemadmodum notat Idiota libro de contemplat. Virginis cap. 5. ad solam eius nominis invocationem calum.

Mariæ singu-  
laris potentia  
contra dæ-  
mones.

i. R. g. 4.  
Bernardus.

Dæmon etiā  
in Christo  
Mariam ex-  
horrebat.

*S. Maxim.*

*Idiot.*



rideat, Angeli gaudeant, terra latetur, conturbetur infernus. Quo in genere non prætermittam id quod mihi superioribus annis quidam Iudex narravit de reo, qui ad quæstionem adductus, fassus est se cum dæmoni familiaris, quem ab hæreticis mercatoribus emerat, multo tempore esse versatum. Hunc à se missum sæpe ad allicendas ad sui amorem mulieres rediisse identidem conatu irrito, opere non infecto solum, sed ne quidem tentato. Quippe qui diceret talem, vel talam mulierem, ad quam fuerat destinatus, inuentam à se recitantem Of- ficium beatæ Virginis, aut Rosarium: *In has nihil sibi, aut suis esse potestatis, aut viriur.* Ex hac veritate vel ab ipso hostium testimo- nio extorta facile appareat, non solum dæmones non præsumpsisse accedere ad tentandam Mariam, ut dictum est ex Riccardo: sed neque accedere ad tentandos veros deuotos Mariæ: & ad solam eius inuocationem dæmones contremiscere, ut modò diximus ex Bernar- dino Senensi. Vnde fit ut non solum Maria, sed etiam deuotus Mariæ sit dæmonibus terribilis: ac proinde deuotio erga Mariam sit præde- stinationis signum, & medium.

CCLXXVII. Secunda ratio. Omnis affectus in Christum, est signum prædesti- nationis. Sed omnis affectus in Mariam, est affectus in Christum. Ergo omnis affectus in Mariam est signum prædestinationis. Maior patet ex probatis cap. 16. Minor probatur, quia omnis affectus in Mariam fertur in illam, siue secundum quod est mater Christi, siue secundum dona dependentia à tali maternitate Christi; quod ultimè in eandem maternitatem resoluitur. Ergo ratio formalis amandi Ma- riæ, est Christus. Ergo affectus, qui fertur in Mariam, fertur in Christum, id est in Salvatorem: ac proinde non potest non esse signum salutis.

Petrus Dam. Confirmatur primò ex eo quod, ut notat Petrus Dam. sermone de nat. Mariæ: *Christus est in Virgine per identitatem, quia idem est quod ipsa.* Siue ex physica identitate filii ad matrem, propter communio- nem eiusdem carnis: siue quia in morali estimatione faciunt vnum:

Rupertus. &c, ut notat Rupertus libro 6. in Cant. *Totus honor impensus matri, in gloriam redundat filii.* Ita ut teste Arnoldo libro de laudibus Virg. matris & filii non tam sit gloria communis, quam eadem: Ergo qui per affectum accedit ad Mariam, accedit ad Christum: & amor Christi & Mariæ non tam est communis, quam idem. Ergo in Maria exhibetur nobis Christus, & sic exhibetur beatitudo & salus. In hoc autem obserua quod amor in Christum non est hoc ipso amor in Mariam: Nam, licet aliquando studiosi Mariæ Christum ament ut filium Ma- riæ: tamen filatio, quæ principalior est in Christo, est illa, secundum quam est filius Dei: ideo secundum hanc, amor in Christum non re- dundat formaliter in Mariam: cuius filiatione Christus præscindit secundum quod est filius Dei. Contrà vero amor Mariæ, secundum quod

quod est mater Dei, hoc ipso redundat in Deum, ut terminum talis relationis: ex quo resultat summa amabilitas in Maria. Vnde fit ut amans matrem Dei, qua talis est, unico affectu duplice obligationi satisfaciat erga matrem, & erga filium. Sic solent sancti viri aliquos actus amoris super omnia exhibere Deo in amore Mariæ super omnia pura creata, ut matris Dei, optando omne bonum Mariæ matri Dei: summe dolendo offendisse se in suis culpis una cum Christo Mariam matrem Dei: summè gaudendo de gloria, quam habet ut mater Dei: qua quisque libenter se spoliaret, si opus esset, ut eam vestiret tanquam matrem Dei. Quo in genere non prætereundus videtur silentio actus ille eximius erga Virginem, ob quem saluatus est Carolus sanctæ Birgittæ filius: Qui ductus post obitum ad iudicium, & à dæmonibus acriter accusatus, à Dei matre acerrimè defensus est: quia, ut ipsamet Virgo dixit sanctæ Birgittæ reuel. libro 7. cap. 13. Dum eius anima in corpore erat, magnam charitatem habuit ad me, revoluens hoc sapientiam in corde suo, quod me Deus suam matrem dignatus est facere: & quod super omnia creata me sublimiter voluit exaltare. Et ex hoc tanta charitate cœpit Deum diligere, quod in corde suo dicebat sic: Instantum ego gaudeo, quod Deus Virginem Mariam matrem suam habet super omnia charissimam, ut nulla corporalis delectatio sit in mundo, quam ego in permutationem huius gaudii recipere: immo illud gaudium omnibus terrenis delectationibus preferrem. Et si possibile esset quod ipsa in uno punclo minimo à dignitate, in qua est, à Deo remotior fieri posset; ego magis mihi in permutationem eligerem in profundo inferni aeternaliter cruciari. Idcirco sit Deo pro gratia, & gloria, quam dedit matri sue dignissima, infinita gratiarum actio. Ecce actum amoris super omnia erga matrem Dei, qua talis est, redundantem in amorem super omnia circa Deum. Hi maximè actus circa Mariam, & media prædestinationis sunt, & signa. Quippe Mariam diligens à Maria diligitur, juxta illud Prou. 8. Ego diligentes Proverb. 8. me diligo: & qui diligitur à Maria, diligitur à Christo. Sicut enim Christus dixit, Qui diligit me, diligitur à Patre meo, Ioan. 14. ita dicere potest Maria, Qui diligit me, diligitur à filio meo. Confirmatur, quia hic ipse modus ascendendi ad Deum, mediante Maria, est juxta voluntatem ipsius Dei. Sicut enim Deus sibi complacuit ut omnia dona ad nos descenderent per Mariam, ut probatum est priori tomo libro 6. q. 38. num. 29. & 30. ita sibi complacet ut omnes nostræ preces ac vota ad eum ascendant per Mariam. Et sicut Mariam elegit, per quam daretur Christo donum substantiale unionis, & per quam darentur nobis omnia alia dona supernaturalia, veluti dimanantia à Christi unione; ita eandem Mariam elegit, per quam omnes nostræ preces, & affectus refunderentur in Christum. Idcirco Bernardus sermone de aquæductu, Quidquid, inquit, offerre Deo paras.

E E c

Maria me-  
diatrix Dei,  
& hominū.

Birgittæ.

Ioan. 14.

402 *Duodecimum prædestinationis signum*

*Maria commendare memento : ut eodem alioeo ad largitorem gratia redeat, quo fluxit.* Ita sicut est mediatrix donorum Christi ad Ecclesiam, sic est mediatrix votorum Ecclesiae ad Christum : ac proinde hic, ut ita dicam, recursus, & configium ad Deum per Mariam, magis consonat ordini hierarchico ab ipso Deo præfixo, quām recursus, & configium immediatè ad Deum.

Exemplum peti potest ab eo, qui maximè pollet gratia apud Principem, Italicè appellant, *il privato del Principe*. Huic ita Princeps Regni totius administrationem tradit, ut negotia non transigantur nisi per ipsum: ita ut neque libelli supplices subditorum deferantur ad Principem, nisi mediaute, ut ita dicam, privato Principis: neque gratiæ à Principe deferantur ad subditos, nisi eodem mediatore. Vnde fit, ut qui pollet magis gratia apud privatum, magis etiam polleat gratia apud Principem: cùm unum censeantur velle & posse Principis, & privati. Ac proinde, signum majus aut minus doni alicuius maximi à Principe impetrandi, est major aut minor gratia apud privatum Principis. Eodem modo philosophandum est de signo prædestinationis, prout quisque magis vel minus pollet gratia apud Mariam, cui Christus perfectissimo modo in administratione Ecclesiae militantis & triumphantis tradidit primatum, Italicè *la privanza*. Si igitur uniucujusque negotium benè aut melius dirigitur, prout majore aut minore conatu suscipitur à privato: iti negotium nostræ salutis benè aut melius dirigitur, prout id minus aut magis suscipitur à Maria: quippe habet idem posse, & velle cum Christo. Nam, ut ait Arnoldus tractatu de laudibus Mariæ, *una est Maria & Christi caro, unus est spiritus; ex quo dictum est ei, Dominus tecum*. Quia igitur libelli supplices, qui ad Principem per manus non deferuntur privati, patiuntur repulsam; ideo, ut monet Bernardus sermone de Natiy. Virg. *quod Deo offerre vis, Maria manibus tradas, si non vis sustinere repulsam*.

In hoc autem Deus optimus Princeps optimè nobis consuluit. Primo, quia elegit ad id muneris inter puras creaturas præstantissimam, quæ longissimo intervallo cæteras antecelleret. Secundo, quia elegit creaturam nostri generis, nempe puram creaturam, & naturæ humanæ: cui possit dicere unusquisque, ex Gen. 29. *os meum, & caro mea*. Tertio, quia elegit matrem. Matri autem Regis nullus dengnari potest subesse subditorum Regis.

Illustratur hoc ex antiqua Hebræorum traditione. Nam, ut testatur Canifius de B. Virgine lib. 1. *Hebrai inter arcana sua celeberrimum ducunt, unam inter creaturas omnes longè præstantissimam esse, quam ipsi mitrato, hoc est Principem facierum, appellant: eò quod semper stat ante faciem summi Imperatoris, & jus habet ad ejus præsentiam benemeritos introducendi. Animadversum est autem ab eruditis,*

CCLXX  
VIII.

Arnold.

Bernard.

Gen. 29.

Canifius.

Mariae nomen cum illo mitrato non haud perperam conuenire. Non poterat clarius explicari munus, ut vocant, Priuati totaliter commisum Mariæ. Quia igitur æternus Pater filio omnia dedit in manus, Ioan. 13. Filius ordine quodam, ut dictum est, hierarchico omnia dedit in manus matris: ita ut sicut filius mediator est apud Patrem, ita mater mediatrix sit apud filium. Quippe, ut notat Bernardus sermone <sup>Bernard.</sup> in signum magnum, opus est mediatore ad mediatorem: nec alius nobis utilior quam Maria. Prout igitur quisque maiorem aut minorem accessum habet ad Mariam; maiorem aut minorem accessum habet ad Christum, à quo ultimè pendet prædestinatione. Ergo mensura signi maioris aut minoris nostræ prædestinationis sumenda potissimum est à maiori vel minori accessu ad Mariam.

Tertia ratio dicitur à pari, siue à fortiori. Affectus insignis erga alios sanctos prædestinationis est signum. Ergo multò magis affectus insignis erga Mariam. Antecedens probatum est cap. 9. Consequen-  
tia patet à fortiori. Primo quia oratio aliorum sanctorum fundatur tantum in misericordia ex parte Dei: oratio Deiparae fundatur in aliquo iure quasi iustitiae ex parte ipsius. Quod discriminem notans sanctus Antoninus 4.p. tit. 15. cap. 17. §. 4. *Oratio*, inquit, *Sanctorum non innititur alicui rei ex partesui, sed tantum misericordie ex parte Dei.* *Oratio autem Virginis innititur gratia Dei, iuri naturali, & iustitiae Euangeli.* Nam filius non tantum tenetur honorare matrem, sed obedire: quod est de iure naturae. Et infra subdit orationem Deiparae habere rationem iussionis, & imperii. Quod idem dicit Petrus Damianus. *Petr. Dam.*  
serm. 1. de Nat. Virg. vbi: *Accedit*, inquit, *ad aureum humanae conciliationis altare non rogans, sed imperans; domina, non ancilla.* Quod si preces Principum sunt iussa; utique erunt veluti iussa preces Mariæ, quæ Deo quodammodo principatur. Quippe, ut ait Bernardus homil. 1. super missus est, *Maria sublimitas est sine socio, quod Deo fæmina principetur.* *Bernard.*

Secundò oratio aliorum sanctorum potest aliquando esse inefficax: oratio vero Deiparae semper est efficax. Idcirco idem S. Antoninus loc. cit. *Inpossibile est*, inquit, *Deiparam non exaudiri, iuxta illud quod in figura eius dixit Salomon matri sua: Pete mater mea, neque enim fas est ut avertam faciem meam.* Quod si Christus dicitur ad Hebr. 5. à Patre *exauditus esse pro sua reverentia*, ratione filiationis: etiam Maria exauditur à filio *pro sua reverentia*, ratione maternitatis. Quantam reverentiam matri exhibeat Christus, facile intelligi potest ea, quam matri exhibuit Salomon Christi figura. Habetur enim 3. Reg. 2. *surrexit Rex in occursum eius, (matris) adorauitque eam: & sedit super thronum suum. Postusque est ibimus marii Regis: quæ redit ad dexteram eius.* Quæ S. Bernardinus tom. 3. serm. 11. art. 2. applicans Virginis in Assumptione: *Contem-* *3. Reg. 2.* *Bernardi.*

E E e ij

404 *Duodecimum prædestinationis signum*

plare, inquit, mirificam obnubilationem: quia surrexit Salomon in occursum matris sue. Mirificam adorationem: quia adorauit eam. Altissimam sublimationem: quia positus est thronus matri Regis. Immediatissimam coniunctionem: quia sedet ad dexteram eius.

E quibus appetet discrimen inter patrocinium Mariæ, & aliorum sanctorum. Siquidem cæteri patrocinantur adorantes: hæc autem patrocinatur adorata, sedens ad dexteram filii: sicut Filius sedet ad dexteram Patris. Idcirco patrocinium Mariæ est altioris ordinis: &, ut ait Germanus serm. de zona, patrocinium Virginis maius est, quam ut intelligentia apprehendi possit. Quamobrem Georgius Nicomed. or. de obl. deiparæ, dixit eam in petitione habere vires, & robur inexpugnabile: nihil eius resistere potentia: omnia eius obedire imperio: omnia eius potestati seruire. Ideo etiam, ut aduertit Sua-rius tom. 2. in 3. part. disp. 23. sect. 2. si singamus Beatam Virginem aliquid postulare, totamque cælestem curiam illi resistere, potentior esset, maiorisque efficacia, & valoris apud Deum Virginis, quam reliquorum omnium sanctorum oratio. Et oratio à priori est, quam tradit Damascenus or. 1. de dorm. quia *matris Dei*, & seruorum *Dei* infinitum est discrimen. Ergo multò maius signum prædestinationis constituitur in patrocinio Virginis, quam in patrocinio non solum unius, aut alterius; sed etiam omnium simul sanctorum: quos tamen adhibere possumus ut patronos apud eandem Virginem, ut notatum est tomo priore lib. 6. quest. 38. num. 43. Quamobrem Augustinus apud Bonaventuram in spec. cap. 6. Mariam alloquens: *Vnam ergo, inquit, ac te solam pro nobis fatemur in calo esse sollicitam.* Siue quia tanta est pro nobis sollicitudo Mariæ, ut respectu illius aliorum sanctorum sollicitudo perinde sit, ac si non esset. Siue quia sollicitudo sanctorum pro nobis non est nisi mediatrice Maria: & ideo tota in solam refunditur Mariam.

*Augustinus.* CCLXXXIX. Tertiò cæteri sancti non possunt nobis patrocinari ad salutem, nisi per modum impetrationis: Deipara vero, præter efficaciam impletandi, affert ad salutem ius merendi. Quippe meruit de congruo omnibus prædestinatis omnia, & singula dona gratiæ, ut probatum est tom. 2. theol. lib. 3: quest. 7. num. 10. Habuit præterea quasi ius præsentandi certum numerum prædestinatōrum, quos ipsa determinasset, ut probatum est ibid. quest. 10. num. 12. Ergo, si plus à Deipara ad prædestinationem confertur, quam à sanctis omnibus etiam simul acceptis; multò maius in Patrocinio eius reponitur ad prædestinatōrum præsidium. Patrocinium autem hoc maximè debetur Deiparæ studiosis: & sic studium erga Deiparam prædestinationis est signum multò maius, quam studium quantumvis insigne erga sanctos cæteros.

Quartò, proprium & specialē est Deipara impetrare perseverant-

*Germanus.  
Georg. Nic.*

Mariæ effi-  
cacia or-  
atio quam  
totius cœle-  
stis curiæ.  
*Suaræ.*

*Augustinus.*

CCLXXXIX. Tertiò cæteri sancti non possunt nobis patrocinari ad salutem, nisi per modum impetrationis: Deipara vero, præter efficaciam impletandi, affert ad salutem ius merendi. Quippe meruit de congruo omnibus prædestinatis omnia, & singula dona gratiæ, ut probatum est tom. 2. theol. lib. 3: quest. 7. num. 10. Habuit præterea quasi ius præsentandi certum numerum prædestinatōrum, quos ipsa determinasset, ut probatum est ibid. quest. 10. num. 12. Ergo, si plus à Deipara ad prædestinationem confertur, quam à sanctis omnibus etiam simul acceptis; multò maius in Patrocinio eius reponitur ad prædestinatōrum præsidium. Patrocinium autem hoc maximè debetur Deiparæ studiosis: & sic studium erga Deiparam prædestinationis est signum multò maius, quam studium quantumvis insigne erga sanctos cæteros.

Quartò, proprium & specialē est Deipara impetrare perseverant-

tiam finalē, vt ostensum est tomo priore lib. 6. quæst. 38. Ex hac autem pendet vltimatè prædestinatio, iuxta illud Matth. 10. *Qui perseverauerit usque in finem, hic saluus erit.* Ergo signum speciale perseverantiae finalis futuræ est specialis coniunctio cum Deipara, per quam tale donum confertur. Patet id in Carolo illo S. Birgittæ filio, de quo supra. Cui studiosissimo Virginis illa astitit in articulo mortis, vt loco cit reuelauit S. Birgittæ, *sicut mulier alteri mulieri parienti* Birgitta. *astans, vt inuenit infantem: ne in illo arcto spatio, per quod exit, suffocaretur: custodiens animam à demonibus, quod nullus eorum eam posset attingere.* Deipara igitur circa suos studiosos munus exeret obstericis in exitu animæ à corpore: qui est dies natalis electorum, eos pariens æternæ vitæ. De hoc Deiparæ patrocinio erga suos clientes, quos adiuuat in vita, in morte, & post mortem, Idiota in Complet. Virginis: *Adiuuat, inquit, in vita praesenti tam bonos quam malos: bonos in gratia conservando, unde canimus, Maria mater gratia: malos ad misericordiam reducendo, ideo dicitur, Mater misericordie. Adiuuat etiam in morte ab insidiis diaboli protegendo, ideo dicitur, Tu nos ab hoste protege. Adiuuat quoque post mortem animas suscipiendo, ideo dicitur, Et hora mortis suscipe.*

Quarta ratio. Omnis prædestinatus est Christi frater, iuxta id quod dicitur ad Rom. 8. *vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Ergo omnis prædestinatus est filius Mariæ, quæ mater est Christi. Ergo signum prædestinationis est affectus filialis in Mariam: per quem quis cognoscitur eius filius, & sic frater Christi.

Confirmatur primò, quia Maria dicitur à Sanctis Patribus *mater viuentium*, idest electorum, qui in Scripturis dicuntur *viuentes*, vt notatum est supra num 247. Ergo, qui signum habet filiationis erga Mariam, signum habet quod adnumeretur inter viuentes, idest inter electos.

Confirmatur secundo, quia cùm unicus filius Mariæ sit Christus; qui per affectum euadit filius Mariæ, transformatur quodammodo in Christum: ita vt possit dicere cum Paulo ad Gal. 2. *Vivio ego, iam non ego: vivit vero in me Christus.* Quod animaduertens Origenes Præ-Origenes, fat. in Ioannem: *Maria, inquit, filius est Dominus Iesus Christus, & omnis qui perfectè est Christianus. Qui enim huiusmodi est, non amplius vivit ipse, sed in ipso vivit Christus: & ideo de eo dici potest Marie, Ecce filius tuus Christus.*

Confirmatur tertio, quia qui habent Mariam vt matrem, habent Deum vt patrem. Quippe respectu cuiuslibet creaturæ nomen patris correlativum ad matrem: & ideo, cùm in Oratione Dominica Deum invocamus vt patrem, tacitè Mariam agnoscimus vt matrem. Quod acute aduertens Tertullianus libro de ori cap. 22. *Sic ergo, in Tertullianus, quid vos orabitis, Pater noster. In Patre filius invocatur: nec mater*

Ecc. iiiij.

*quidem præteriur. Siquidem in Pare & filio recognoscitur mater.*

Mariam in  
Oratione  
Dominica,  
tacitè agnos-  
cimus ut ma-  
trem.

CCLXXXV

Sinus Abra-  
hae in Mariae  
sinum est  
permutatus.  
*Guerricus.*

*Bernard.*

Confirmatur quartò , quia electi assimilantur parvulis , juxta id quod dicitur Matth. 18. *Nisi efficiamini sicut parvulus, non intrabitis in regnum cœlorum.* Affectionis autem tenerior puerorum magis est circa matrem quam circa patrem : cum in hoc interdum al peritatem ac minas , in matre semper blandicias experiantur. Ideo deterriti , & pulsii à patre, configuiunt ad sinum matris : illi querelas exponunt: illi lachrymas exhibent : illi, dum mulcentur, arrident. Similia præstant Virginis studiosi : qui, si teneriorem affectionem experiuntur in Mariam quam in Christum , signum in hoc exhibent, quod agnoscunt Christum ut patrem, Mariam ut matrem. Ad cuius maternum sinum dum sive in prosperis, sive in adversis configuiunt, signum in hoc prædestinationis præferunt, quod in ejusdem sinu æternalitet requiescent. Sinus quippe Abrahæ, in quo prius conquiscebant electi, in sinu Mariae multò felicius permutatus est. Ideo Guerricus Abbas hom. 1. de Assumptione : *Nullatenus, inquit, censendum est majoris esse felici- tatis habitare in sinu Abrahæ, quam in sinu Mariae : cum iheronum in ea posuerit Rex gloriae.*

Confirmatur quintò , quia Maria filiorum suorum salutis curam gerit, ut circa eosdem non matris solum, sed patris etiam munus exerceat. Sicut enim illa est quodammodo respectu Christi matribus ter ; ita etiam respectu electorum, qui sunt fratres Christi : ut hi in omnibus Christi imaginem præferant. Idcirco fortasse dicitur Prov. 4. *mullerem fortem, sive, ut alii, mulierem masculam quis inveniet?* & Cant. 6. *pulchra ut Luna.* Nam, ut dicit Plato in convivio, *Luna utriusque sexus particeps :* eò quod propter proximos influxus, quos Luna habet ad generationem, maris & foeminae vices suppleat. In quo observandum, etiamsi Sol in ordine ad generationes principalius se habeat, quam Luna : tamen hæc sublunaria agnoscere sua incrementa & decrementa à Luna magis quam à Sole. Sive quia Luna proximior : sive quia influxus ipsi Solis ad nos transeunt attemperati per Lunam. Quod idem proportionaliter dici potest de Christo & Maria, in ordine ad generationes spirituales. Quamvis enim Christus principalius se habeat, nempe ut sol, Maria minus principaliter, nempe ut Luna : tamen incrementa aut decrementsa spiritualia magis sensibiliter apparent per influxus Mariae, quam Christi, Lunæ, quam Solis. Sive quia Maria nobis proximior, tanquam pura creatura : sicut Luna orbi sublunari proximior est quam Sol. Sive quia influxus & dona ipsiusmet Christi ad nos transeunt per Mariam. Siquidem, ut ait Bernardus sermone 3. de Nativitate Virginis, *Nihil nos Deus ha- bere voluit, quod per Mariæ manus non transiret :* sicut nihil à Sole ad nos demittitur, nisi transeat per cœlum Lunæ. Sicut igitur effectus sublunares, quasi totaliter referuntur ad Lunam, tanquam ad causam

proximiorem ; mediante qua, communicatur virtus inferioribus : ita effectus supernaturales, qui descendunt à Patre lumen, Iacobi 1. quoad ultimum complementum, quasi totaliter referri possunt ad Mariam, tanquam ad causam proximiorem, mediante qua à Deo ad nos transeunt. Vnde fit ut signum prædestinationis valde proximum sumatur ex affectu & subordinatione ad Mariam, tanquam ad causam salutis minus principalem quam Christus, sed magis proximam, modo explicato. Et ideo dixi, quod Maria in ratione causæ proximæ, est veluti matripater respectu electorum : cum ipsamet dona æterni Patris ad nos deveniant per Mariam.

Confirmatur sexto hoc signum prædestinationis fundatum in filiatione Mariæ : quia matri huic nostræ, quæ simul mater est Dei, neque voluntas deest salvandi suos speciales filios, neque potestas. Quod perpendens Bernardus serm. 1. de Assumptione : *Nec facultas, inquit, illi deesse potest, nec voluntas ; nisi forte aut non creditur Dei filius honorare matrem, aut dubitare quis potest omnino in affectum charitatis transisse Maria viscera : in quibus ipsa, qua ex Deo est, charitas nouem mensibus corporaliter requievit.*

Quod ad voluntatem spectat, omnes affectu complectitur : & eo majori affectu misericordiæ, quo videt misiores, & ab aliis omnibus derelictos. Ideo Bernardus apud Bonaventuram in spec. cap. 5. *Maria*, inquit, *Tu peccatorem toti mundo despectum materno affectu amplecteris, foves nes deseris, quo usque horrendo Iudici miserum reconcilies.* Hæc ex parte Mariæ. Ex parte vero peccatorum satis est Mariæ affectuosa invocatio. Nam, ut ipsam alloquens ait Bernardus sermone 4. de Assumptione : *Sileat misericordiam tuam, Virgo Bernard.* *beata, si quis est qui invocatam te necessitatibus suis sibi meminerit defuisse.* Eutychianus etiam in vita Theophili, *O domina, inquit, Eutychia mea, defensio generis humani, portus & protectio eorum qui ad te confugiunt.* *Quis unquam tuam fideliter rogavit opem, & fuit deiectus; revera nullus unquam.* Ideo meritò concludit sanctus Bernardinus *Bernardin.* Senensis tomo 3. serm. 1. art. 14. quod *omnes, qui volunt, participes fiunt gratiæ eius.* E quibus patet non deesse ex parte Mariæ affectum salvandi.

Quod vero attinet ad potestatem, ut notat Petrus Dam. serm. 1. de Nat. *Data est illi (Mariæ) omnis potestas in celo & in terra. Nihil illi impossibile, cui possibile est revelare in salutis spem desperantes.* Anselmus etiam libro de laudibus Virginis cap. 12. *Te, inquit, Deus sic exaltavit, ut omnia tibi secum possibilia esse donaverit. Tu velis, & nequaquam fieri non poterit.* Idem tradit Bonaventura in spec. cap. 5. *Anselmus.* ubi, *Quia Dominus, inquit, potentissimus tecum, ideo tu es potentissima secum :* potentissima per ipsum, potentissima apud ipsum. *Quamobrem sancta Birgitta in revel. libro 4. cap. 74. Quid, inquit,* Bonavent.

*Mariæ neque voluntas deest ad salvandos nos, neque potestas.*

*est: quod poteris? Quod enim tu vis, hoc factum est. Non dicit fit, sed factum est.* Satis quippe est quod Maria velit, ut id quod vult, non tam sit faciendum quam factum. Vnde infert Anselmus libro de excellentia Virg. cap. i 2. impossibile esse, eum esse reprobum, cuius Maria velit salutem. *Tantummodo, inquit, velis salutem nostram,* & verè nequaquam salui esse non poterimus. Quo in genere circumfertut effatum illud ex Damiano; *Æternum va non sentiet, pro quo semel orauerit Maria.* Quam ex hoc prædestinationis spem concipiет, qui affectum filiale habet circa Mariam; cùm videat prædestinationem suam sitam esse in manu matris, cui ita est facile, ut vel

CCLXXXI. unica eius petitio sufficiat ad salutem? Affui cuidam Patri nostræ Societatis morti proximo, qui cùm in procuranda animarum salute fuisset valde sollicitus, ita Virginem moriens est alloquutus. Ego effeci pro meo modulo, ut tibi sæpius genua flechterent plurimi: Tu semel genu fleste pro me, & saluus ero. Ita igitur secum ratiocinari potest, Virginis studiosus. Maria mater mea est, etiam si ego peccator sim. Quippe, ut ipsamet reuelauit S. Birgittæ lib. 4. reu. cap. 138. *mater est omnium peccantium se emendare volentium.* Si igitur ab ea humiliter petiero ut pro mea salute oret, repulsam non patiar filius à matre. Nempe, ut loquar cum Episcopo Parisiensi, *hoc procul dubio peto, quod illi maxime gratum ac placitissimum certissimè scio.* Non poterit igitur mihi denegare quod peto. Si illa pro mea salute orabit, non poterit illi filius denegare quod petit: cum sit communis vox & sensus Ecclesiæ, nunquam Marie petitionem à filio passam, esse repulsam. Nempe, ut ait Arnoldus, *securum accessum homo habet ad Deum, ubi mediatorem sue causa filium habet ante Patrem,* & antefilium matrem. Christus Patri ostendit latus, & vulnera. Mater Christo pectus, & vbera. Non poterit esse repulsa, ubi concurrunt & orant omni lingua disertiūs hæc clementiae monumenta, & charitatis insignia: quando videlicet petitur ut pro nostra causa loquantur sanguis Christi, & lac Mariæ. Hæc de ratione petita ex affectu filiali erga Mariam.

Bernardus. Probatur idem quartò principaliter à posteriori, idque quadrupliciter. Apparet enim id primò à posteriori, animaduertendo quanti fecerint sancti viri deuotionem erga Virginem: & quantum in ea constituerint præsidium salutis. De hoc plurima Spinellus lib. de B. Virg. toto cap. 35. & nos supra num. 273. & seq. Satis nunc sit reperere illud Bernardi ser. super missus est. *Hæc ( Maria ) est tota mea fiducia: hæc est tota ratio spei mea.*

S. Thom. Apparet secundò animaduertendo, quanti fecerit ipse Christus filiationem Mariæ. Sicut enim Maria ex dignitate maternitatis, ut notat S. Thomas 3. part. qu. 28. art. 3. ad 6. in Evangelio non consuevit nominari nisi cum cognominatione huius dignitatis, quod sit mater Iesu: ita

Mariæ ora-  
tio nunquā  
passa est re-  
pulsa.

Arnold.

Bernardus.

S. Thom.

Maria ut ma-  
ter Iesu in E-

Ita Christus non consuevit nominari nisi cum cognominatione huius dignitatis , quod sit filius Mariæ. Quippe Christus, ut notat Augustinus lib. 2. de conf. Evang. cap. 1. filium hominis se ipse s̄apissimè appellat , commendans nobis , quid misericorditer sit dignatus esse pro nobis. Cum autem esset & Dei filius , & Dominus univerorum , prætermisis sexcentis clarissimis titulis , quibus à propheticis oraculis insignitur , vix unquam alio se titulo appellat , quām filium hominis , nempe filium Mariæ : ex qua adæquate carnem atque humanitatem desumpsit.

uangelio  
semper co-  
gnominata.  
Augustin.

Observandum etiam est à protomartyre Stephano Christum appellatum esse filium hominis , cum dixit , ecce video celos apertos , & filium hominis stantem à dextris virtutis Dei. Act. 7. cum potius visus ut stans à dextris Dei appellari debuisset filius Dei. Quod advertens S. Maximus hom.de S. Steph. Considerate , inquit , attentiūs , cum Christum ad dexteram Patris stare vidisset , curse filium hominis videre testatus est , & non potius filium Dei. Huius duplex ratio reddi potest , sive quia surrexerat Christus ad auxilium præstandum Stephano ut filius Mariæ : nempe motus eius precibus. Quæ ut habetur in monumentis terræ sanctæ apud Adricomium, Brochardum , & alios, genuflexa orabat , cum Stephanus lapidaretur: reseratis cælis non tam ad Stephani lapides , quām ad preces Mariæ. Sive filium hominis appellavit , ut in hoc se Christi beneplacito conformaret : qui hoc maximè titulo gloriabatur , s̄apissimè se filium hominis appellans , id est filium Mariæ. Idque tanti Christus fecit , ut quoniam hæretici insurrecturi erant afferentes Christum fuisse ex materia impassibili cælesti , & sic negantes desumpsisse carnem passibilem ex Maria : ex hoc motivo , inter cætera , passionem , & mortem subiit , ut ostenderet se filium Mariæ. Quod affirmans Ildefonsus serm. de Nat. Mariæ : Ut Mariam , inquit , veram matrem ostenderet , verum se hominem patiendo tormenta monstravit. Si tanti fecit filiationem Mariæ Christus caput & dux prædestinatorum , ut pro hac filiatione mortem subierit : hoc profecto prædestinatorum est proprium ut quodlibet patientur , quo se ostendant veros filios Mariæ.

Apparet idem tertio animadvertendo quanti idem Christus fecerit in aliis hanc filiationem Mariæ ; idque tum in justis , tum in peccatoribus. In justis quidem convinci potest ex eo , quod cum Petro post trinam negationem dederit primatum Ecclesiæ ; Ioanni , qui per antonomasiā dicebatur discipulus ille , quem diligebat Iesus , dedit filiationem Mariæ , cum in cruce pendens dixit , Mulier ecce filius tuus : deinde discipulo , ecce mater tua. Quamobrem majoris dilectionis fuit signum tradita discipulo dilecto filiatio Mariæ , quām commissa Petro paternitas totius Ecclesiæ. Vnde patet quanti debeat ab unoquoque estimari hæc devotio erga Mariam : quod idem est , ac

F F f

specialis eius filatio: quæ à Christo antefertur ipsi primatu Ecclesiæ. Et signanter dicitur trādi *discipulo*, *quem dilgebat Iesus*: vt ostendatur deuotio filialis erga Mariam esse signum dilectionis specialis Christi erga deuotum: & sic signum prædestinationis. Quamobrem idem Christus, cum aliquod gloriæ pignus exhibere vellet in monte Thabor, *assumpsit Petrum, Iacobum, & Ioannem* Matth. 17. Petrum, cui datus erat primatum Ecclesiæ: Iacobum, cui datus erat inter Apostolos primatum martyrii: & Ioannem, cui datus erat primatum filiationis Mariæ. Hanc rationem tangit Ambrosius in cap. 9. Lucæ, licet discrepet in Iacobo. *Assumpsit*, inquit, *Petrum, &c. Petrus ascendit, qui claves celorum accepit.* *Iacobus*, qui primus solium sacerdotale *consecravit*. (Hoc videtur competere potius Iacobo minori qui primus Hierosolymorum Episcopus creatus est) *Ioannes*, cui *committitur mater*. Filiatio igitur Mariæ destinata Ioanni ratio fuit, vt illi exhiberetur prædestinationis pignus in monte Thabor. Addit Origenes tom. 5. præf. in Ioan. ideo Ioanni reuelata esse specialius altissima diuinitatis Verbi mysteria, quia filius erat specialis Mariæ, *Nullus*, inquit, *adeo purè manifestauit Christi diuinitatem ut Ioannes*. *Audeamus dicere primitias Scripturarum omnium Euangelium esse: Euangeliorum verò primitias Euangelium à Ioanne traditum: cuins sensum percipere nemo potest nisi qui super peccatum Iesu recubuerit, vel acceperit à Iesu Mariam: que etiam ipius mater fuit.* E quibus liquet quanti fiat à Christo hæc filatio specialis Mariæ: quam ipse iustis omnibus tradidit in Ioanne.

Quanti etiam Deus faciat in peccatoribus deuotionem, seu affectū filiale in Mariam, animaduerti potest recensendo quot peccatores vel perditissimi per hoc medium prædestinati, & saluati sint. De his innumerabilia suppetunt exempla, quibus integri referti sunt libri. Antiquitatem decorat Maria Ægyptiaca. Quæ, vt narrat Sophronius in eius vita, ex flagitosissima meretrice ad fastigium euecta est sanctitatis. Quia diuinitus reiecta ne cum cæteris intraret in templum, ad imaginem Mariæ conuersa eam enixè rogauit, vt pro se fideiuberet apud filium de nouitate vitæ, quam spondebat. Recentius est id, quod de Innocentio Tertio traditur à Thoma Cantipratensi in vita B. Lutgardis lib. 2. vbi dicitur is apparuisse Lutgardi testatum se tres ob causas cruciari: quæ etiam aeternis suppliciis iustissimè addixissent: nisi, inquit, per intercessionem piissime matris, cui monasterium condidi, in extremis me paenituisse: sed usque ad diem iudicii paenit atrocissimis cruciabor.

Non omittam recentissimum exemplum, quod mihi tanquam sibi compertum narravit Episcopus spectatissimæ fidei, de quodam duce latronum. Cui, cum paucis ante annis prope urbem Italæ celebrissimam in ditione Pontificia grassaretur, adducta est à sodalibus egre-

Mariæ erga  
latronem  
quendam pa-  
tioinum.

giæ formæ adolescentula. Hæc ab illo supplex petiit , ne circa eam impurum aliquid attentaret , idque postulauit enixè propter amorem Mariæ. Vicit ardorem libidinis quidam in latrone erga Mariam religiosus igniculus : neque solùm intactam dimisit, sed etiam ne ab aliis villam subiret injuriam , ad certos vñque fines duxit incolumentem : illud , cùm dimitteret, rogans vt se illi commendaret Mariæ, cui tan-topere esset addicta. Nocte proxima per quietem apparuit illi augustissimo vultu Regina; quæ benignis intuens eum oculis, & comiter alloquens , placuisse sibi dicebat id quod ipse pridie in sui gratiam gesserat : seque illius opportunè , & in loco recordaturam. Euanuit mox somnus ab oculis, somnium è mente : quod ille inane & fortuitum existimauit. Paulò pòst captus, atque in carcerem conjectus est. Nocte, quæ antecessit supplicium , iterum Regina eadem se in somnis exhibens interrogauit , an eam agnosceret? Respondenti meminisse se aliquando eandem imaginem sibi obseruatam , reuocauit in mentem , quæ antea dixerat : apparuitque illi se Mariam esse cœli ac terræ Reginam : in cuius obsequiū ab adolescentulæ sui studioræ contactu religiosè abstinuerat. Aduenisse se vt operi præmium rediceret , nempe post supplicium , æternam gloriam. Excusit rei magnitudo somnum ex oculis: & iam diuino ille instinctu factus certior ; & Reginam sibi cœlorum apparuisse , & æternam salutem esse pollicitam præ lœtitia exiliens virgebat vt quamprimum duceretur ad suspedium ac trabem , quara nouerat euafuram sibi esse pontem ad vitam. Mirari omnes in eo mixtum summo dolori pat gaudium: cum & incredibilem pœnitudinem exhiberet de culpis , & non imparem alacritatem afferret ad pœnam. Duci ad necem crederes non latronem , sed martyrem : commutato in triumphum suppicio. Detexit ille confessario causam insoliti tum doloris , tum gaudii : potestate facta vt rem omnibus aperiret. Quod mox ille è scalis præstitit, summa populi gratulatione effusi in lœtitiae lachrymas , ac summam Deiparæ misericordiam acclamantis : cum interea cadauer pendere conspiceretur è trabe , vultu quodam augustiore ac beatitatem spirante. Hæc & his similia sæpiissimè Virgo præstissime legitur peccatoribus, præsertim latronibus, qui eximio aliquo eam affectu sint prosequuti: vt narrant Anselmus in lib. mirac. Thomas Cantipr. lib. 2. Ap. cap. 29. part. 18. & Pelbartus in stellario Virginis lib. 2. part. 2. art. 1. ex quo Spinellus lib. de B. Virg. cap. 34. num. 24.

Neque id mirum. Hæreditaria enim est Mariæ misericordia in latrones : ex quo Iesus è Cruce Latronem vocauit ad Regnum. Quem etiam conuersum fuisse ob beneficium Mariæ præstitum , cùm fugeret in Ægyptum , refert Anselmus libro ad sororem , Landulphus de vita Christi part. 1. cap. 13. Dionisius Richelius tom 2. in Reg. annot. 12. seqq. & alii. Nec desunt , qui tradant eum ad lumen fidei venisse

OCLXX  
XII.

F F f ij

ex umbra Mariæ, dum cruci astaret, versus eum proiecta, ut notatum est supra num. 266. Certè conuersionem boni Latronis Mariæ tribuit Epiphanius sermone de laudibus Mariæ, ubi, *Hæc*, inquit, *Paradisum clausum aperuit, & per Latronem rursum Adamum complantur*: quia scilicet post Adamum electum è Paradiso, Latro primus audiuit, *Hodie mecum eris in Paradiſo*: quod totum Mariæ operâ factum hīc asserit Epiphanius. Hæc pauca libatè satis de peccatoribus prædestinatis per pietatem, & studium in Mariam.

Contra prædicta argui potest sic. Si deuotio erga Virginem prædestinationis est signum, etiam in peccatoribus; nemo, aut ferè nemo inuenitus scelestis inter fideles, qui denotionem aliquam non habeat erga Virginem. Ergo nemo, aut ferè nemo est inter fideles, qui non sit prædestinatus. Hoc autem est contra id quod docent Patres de paucitate prædestinatorum etiam inter fideles: quod nos quoque probaturi sumus tract. seq.

Respondeo primò, transeat antecedens; nego consequentiam. Aliud est enim habere signum aliquod prædestinationis: aliud est esse prædestinatum. Sumus enim in signis conjecturalibus: è quibus unum vel alterum non satis est ad infallibilem veritatem rei. Sicut igitur in rebus medicis signa sunt multa recuperandæ sanitatis, quæ seorsim accepta sunt valde conjecturalia & fallibilia: si vcrò plura ex iis aduentur, faciunt certitudinem moralē, ita &c. Respondeo secundò. Nego quamlibet deuotionem erga Virginem, esse signum prædestinationis. Ut enim tale sit, requiritur aliqua ex his tribus conditionibus.

Deuotio erga Mariam  
ad hoc vt sit  
prædestina-  
tionis sig-  
num, quæ  
requirantur.  
Primò vt  
deuotio sit  
constans.  
CCLXX  
XIV.

Prima conditio, vt obsequiū quod aliqua in re exhibetur Virginis, sit constans & perseverans, etiam cùm adsunt circumstantiae arduæ. v. g. vt recitetur illi Rosarium, vel Corona, vel Officium diebus singulis: ita vt obstante quotidie impedimento superabili talis deuotio non interrumptatur, sed fiat etiam à semisomni. Idem dicitur aut de iejunio singulis Sabbatis: aut de iejunio in solo pane & aqua in septem vigiliis septem festorum Virginis, & similibus abstinentiis. ita vt hæc nunquam neque occasione conuiuii, neque suasione amicorum violentur. Perseverantia in his, & constantia etiam in circumstantiis difficultatē augmentibus, non potest esse sine pugna & speciali Dei auxilio eiusdem Deiparæ precibüs impetrato: ac proinde signum est specialis amoris, quo Virgo eam prosequitur, cui talem perseverantiam in sui obsequiū impetrat nonnisi largissimè remuneratura. Obsequia igitur erga Virginem, quæ fiunt interdum, & frigidè, ita vt facile omittantur, non videntur pertingere ad signum prædestinationis, nisi continuationem & perseverantiam inducant: cùnt præfertim ex interruptione sensim dilabantur ad non gradum, & tandem moraliter omittantur: quod magnum reprobationis est signum. Paucis

ante diebus dum hæc scriberem, incidi in iutinem mulierculæ amotibus implicatum, qui mihi pene cum lachrymis affirmauit se antea singulis Sabbatis ieunare solitum, laudabilem hanc consuetudinem violasse post impura flagitia: vnde ipsem inferebat à muliere illa se aperte duci ad perditionem. Contrà verò, cùm obsequium erga Virginem retinetur serio, & constanter, facile eiusdem Virginis beneficio ex ipsiusmet sceleribus euaditur ad emendationem, ac veniam.

*Secunda conditio, vt deuotio sit affectuosa, idest coniungit cum amore erga Deiparam. Quod fit, gaudendo sincerè de eius gloria: compatiendo ex corde eius doloribus: optando vehementer, & curando eius obsequium: dolendo acriter, & indignando de blasphemis contia ipsam. configiendo ad eam fiducialiter: sæpe de ea loquendo, atque eius affectum in aliarum animis inferendo. Hæc signa amoris erga Virginem, argumenta sunt quod quis amat à Virgine. Quippe ipsa dicit Prou.8. *Ego diligentes me diligo.* Ille autem æternum Dei odium non incurret, quem specialiter amat Maria. Plura de his exempla suppetunt. Carolus sanctæ Birgittæ filius creptus est è dæmonum fauibus, quia gaudere solebat de bono Mariæ plusquam de suo, vt supra notatum est num. 277. Alius quoque Princeps, cùm totam vitam in flagitiis traduxisset, prope mortem ter à Sacerdote admonitus, tandem peccata magno animi dolore confessus, saluatus est: quia, vt Christus reuelauit sanctæ Birgittæ lib.6.cap.97. *Confus-  
tudo illius fuit compati delori matris Dei, quoties considerabat, &  
nominari aubiebat: ideo compendium sue salutis inuenit, & salutus  
est.* Non desunt qui quotidie Mariam apud alios nominant, eiusque quoad possunt laudes prædicant, opportunè, importunè. Ideo, vt supra notatum est num. 273. dicitur à Germano sermone de zona, *Nomen Marie in ore seruorum eius versari assidue in omni tempore, loco, & modo: quemadmodum respiratio in corpore, vt signum viræ.* Quamobrem diem integrum, irimo horam aut momentum sine hoc sanctissimo nomine veluti sine respiratione transfigere, mortiferum fere est, ac lethale. Sunt qui manè post excussum ex oculis somnum hos tres actus circa Dei matrem exercent: *Gaudeo de tuo bono plusquam de meo. Darem tibi, si haberem. Regni tui non sit finis.* Confluerunt alii ter Salutationem Angelicam recitare in gratiarum actionem Patri, Filio & Spiritui sancto, pro beneficiis collatis in Virginem. Quod tradunt ab ipsamet Virgine beatæ Mechtildi reuelatum, tanquam obsequium sibi pergratum, & aptum ad impetrandum effectum boue mortis. Alii quotidie fiducialiter ad Virginem configentes, usurpant verba supra citata ex Damiano, *Æternum va-  
non saniam si senes, pro me oraueris, Maria.* Denique alii omnia sua bona opera, eorumque satisfactionem reponunt in manibus Mariæ, *vt eam iis Purgatorii animabus impeditat, quibus velit. Hi sunt actus.**

*Secundò, vt  
deuotio sit  
affectuosa.*

F F f iii

414 *Duodecimum prædestinationis signum*

amoris circa Deiparam : qui sunt signa non vulgaria prædestinationis & salutis.

Tertio, ut  
deuotio sit  
emendatiua  
vitæ.

*Gregorius.*

CCLXXXV

Tertia conditio, ut sit deuotio erga Virginem emendatiua vitæ. Hæc signum est prædestinationis potissimum : quia omnia circa Virginem obsequia, quæ sunt extra statum gratiæ, sunt signa valde remota salutis : cum sint ad summum dispositiones ad gratiam intermedium, quæ signum est magis proximum gratiæ finalis infallibiliter ducentis ad gloriam. Neque verò Virgo acceptare potest tanquam ab amico obsequia, quæ illi exhibentur à filii inimico. Quamobrem Gregorius VII. libro 1. epist. 47. *Pone, inquit, finem in voluntate peccandi : innenies Mariam (indubitanter promitto) promptiorem carnali matre in tui dilectione.* Idcirco maximè illi placent obsequia, quæ sunt emendatiua & melioratiua vitæ. Talia sunt abstinere ab aliquo peccato in eius honorem, Confiteri, & Eucharistiam percipere in eius Festis, & prima ac tertia mensis Dominica, iuxta leges præscriptas in Rosario : adscribi in aliquo Sodalito dicato Virginis, ibique seruare præscriptas sub tutela Virginis regulas. Præterea, offerre Virginis in holocaustum consolationem, quam quis culpabiliter capiebat ex illicito, aut nimio amore alicuius creaturæ. Elicere in eius obsequium varios actus mortificationis, humilitatis aut patientiæ, quos aliqui flores appellant, quotidie colligendos, & veluti in coronam ad texendos, offerendos Deiparæ vesperi ante cubitum.

Denique si quis in peccato sit, respirare ad spem veniæ, & confugere sub eius tutela ad pœnitentiam. Talis fuit conuersio Theophili, qui cum Satanae operâ Christo ac Matri renunciasset, ad eam confugiens, non veniam modò post quadraginta dierum lachrymas impenetravit ; sed etiam chirographo, quo se diabolo deuouerat, Deiparæ opere restituto, publice coram Episcopo & populo crimen confessus, percepera Eucharistica, facie instar Solis coram omnibus collucente, paulò post inter Deiparæ laudes animam Deo reddidit. Cuius facti meminit Petrus Damasceno 1. de Natiuitate Virginis, sanctus Bernardus in deprec. ad Virginem, sanctus Antoninus 3. part. sum. tit. 3 n. cap. 4. §. vlt. &c. alii.

E quibus omnibus liquet, quod deuotio erga Virginem, ut sit signum prædestinationis eximium, debet esse constans, affectuosa, emendatiua : & saltem aliquam ex his conditionibus habere debet, ut habeat respectu prædestinationis aliquam rationem signi. Et quia sæpè in his conditionibus deficit, ideo sæpe est futilis & vana deuotio ; non solida & vera, non profecta ex aliquo sensu pietatis erga Virginem ; sed ex merito affectu peccandi, sub spe veniæ impetranda per Virginem. Quando autem talis deuotio neque constans est neque affectuosa, neque emendatiua, tunc nullam habet respectu prædestinationis rationem signi. Consonant his, quæ eadem Virgo reue-

lavit sanctæ Birgittæ libro 1. revel. cap.9. ubi, *Sicut, inquit, avis, quæ Birgitta, in predam unguis & rostrum habet, si audierit sonum aliquem, relinquit predam; & cum nihil operis sequi videt, statim revertitur ad eandem: sic demones, auditu nomine meo, statim relinquunt animam, quasi territi, sed iterum advolant, & revertuntur ad eam, quasi sagitta velocissima, nisi aliqua emendatio subsequatur.* Contrà verò cùm sequitur emendatio, nihil obstant ejus clementiæ peccata præterita. Quod animadvertis Gregorius VII. libro 1. epistola 47. ad Mechtildem, *Mater, inquit, Domini, quantò altior & sanctior est omni matre, tanto circa peccatores conversos clementior.* Atque hæc de devotione erga Virginem, secundūm quod prædestinationis est signum.

Ex his per modum corollarij collige indevolutionem erga Virginem signum esse reprobationis: cùm contrariorum sit eadem disciplina, ut sæpius notatum est.

Pater etiam id primò è Scripturis Prou.8. *Qui me inveniet, invenerit vitam: & hauriet salutem à Domino.* ( Ecce signum prædestinationis in devotione erga Virginem.) *Qui peccaverit in me, lædit animam suam: omnes qui oderunt me, diligunt mortem.* Ecce signum reprobationis in irreligione erga eandem.

Pater secundò ex Patribus. Ignatius martyr apud Celadam in *Ignat. Mar. Esther* in Appendix cap.10. *Impossible, inquit, est aliquem salvari tyr. peccatorem, nisi per tuum Virgo auxilium & favorem: quia, quos non salvat Dei justitia, salvat sua intercessione Maria infinita misericordia.* Germanus sermone de zona, *Si tu, inquit, nos deserueris, quid de nobis fiet, ô spiritus & vita Christianorum?* Damascenus orat. de *Damas.* dormit. Virginis, *Nobis, inquit, quomodo erit vita vitalis, si Mariam non habemus, cum qua versemur.* Bernardus sermone de aqueductu, *Bernardus.* *Tolle, inquit, hoc corpus solare, ubi dies? Tolle Mariam hanc maris stellam, quid nisi caligo involvens, umbra mortis, & densissima tenebra relinquunt?* Anselmus apud sanctum Antoninum 4. part. tit.15. *Anselmus.* cap.14 §.7. *Sicut impossibile est, inquit, quod illi à quibus Maria oculos sua misericordia avertit, salventur: ita necessarium ut hi ad quos convertit oculos pro eis advocans, glorifiscensur.* Vide quæ supra diximus num.277. de ave illa avertente oculos à morituris. Idiota libro *Idiota.* contemplationum cap.5. *Maria, inquit, spiraculum es hominis, quia peccator per te respirat.* Sublato igitur hoc vitæ spiraculo, signum evidens habetur mortis. Gulielmus Parisiensis apud Binettum in *Gulielmus.* tessera num.8. *Non præsumat, inquit, aliquis Deum se posse habere propitium, qui benedictam matrem offendam habuerit.* Claudam hæc omnia testimonia quod veritas extortis ab hoste, nimis ab Oecolampadio sermone de laudibus Virginis, ubi, *Nunquam, inquit, de me audiatur quasi averser Mariam: erga quam minus bene affici, re-*

Indeuotio erga Virginem reprobationis est signum.

*probata mentis certum existimem indicium esse. Nollem è cultu Mariae aliquid diminui. Discant vel ab hoc hæretici, tanquam ab uno ex eorum antesignanis, quid sentiendum sit de iis qui in imagines, in invocationem, in cultum & venerationem Mariæ tam impiè debachantur.*

Patet id tertio, ratione: quia omnis recessus à medio adæquato ad finem, est recessus à fine. Sed recessus à Maria, est recessus à medio adæquato ad finem salutis: cùm per ipsam conferantur omnia dona gratiæ perducentia ad salutem. Ergo recessus à Maria, est recessus à fine salutis, & sic reprobationis est signum. Quemadmodum igitur, quando membra inferiora separantur à collo, evidens est signum interitus: ita &c. Quippe, ut ait sanctus Bernardinus Senensis serm. 5. de gloria Mariæ, *sicut per collum spiritus vitales è capite diffunduntur in corpus, sic per Virginem &c.*

Confirmatur primò, quia Maria dicitur Cant. 6. *suanis, & terribilis: suavis amicis, terribilis hostibus.* Ideo figurata fuit per columnam, quæ duxit populum ad terram promissionis per desertum, ut notatum est supra num. 258. Columna autem illa lucem & ductum præbebat Hebræis, fulmina & neces Ægyptiis, juxta id quod innuitur Habacuc 3. *In luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuae: & nos supra probavimus num. 234.* Hoc autem Maria præstítit etiam vivens. Nam in visitatione Elisabethæ, cum primam gratiam contulit Ioanni, primos ictus intulit contra Antichristum. Qui, ut notat Hieronymus in Dan. 11. *figet tentoria, ubi incipiunt surgere montana Iudeæ.* Statim autem post Incarnationem Veibi exurgens Maria abiit cum festinatione in montana. Lucæ 1. quæ infra appellat *montana Iudeæ.* Vbi igitur ultima tentoria fixurus est Antichristus, ibi prima tentoria fixit Maria propugnatura pro suis, pugnatura contra hostes:

Confirmatur secundò, quia saepe Christus plus ulciscitur injurias Matri, quam suas: quod maximè apparuit in excidio Hierosolymitanum. Nam, cum Christus passus sit Hierosolymis die vigesimo quinto Martij; Maria verò octavo die Septembbris (teste Damasceno or. 1. de dorm.) prope probaticam piscinam nata sit Hierosolymis: voluit Christus in suppuratione temporum ostendere quanti faceret injurias illatas Matri. Siquidem, ut refert Iosephus de bello Iudaico, *octano die Septembbris Hierosolyma capta est.* Quod non sine mysterio evenisse credendum est. Quippe, ut ostenderetur Hierosolymitanum excidium specialiter in ultiōrem fuisse ingratisudinis à Iudeis impensis in Mariam, eo die Hierosolyma perit, quo nata est Maria. Præterea carnifices, qui injurii fuere in Christi corpus, non illico puniti sunt. Qui autem injurii fuere in corpus Virginis cum efferretur ad tumulum, repente manibus priyati sunt, ut narrat Damasc. de dorm.

Virg.

Hierosolymitanum excidium in ultionem ingratitudinis erga Mariæ.

Virg.or.2. Constantinus Copronymus, cum in imagines tam Christi, quam Mariæ, sanctorumque omnium deseuisset, sub noctem miserè vociferatus est se propter Deiparam inextinguibili igni traditum esse, ut notat Canisius lib.5. Deipara cap.17. Plures hæreticos, qui in Virginem Hallensem fuisse blasphemi, statim pœnas dedisse testatur Lipsius opusc. de D. Virg. Hall. cap.7.

Claudam hæc memoriali exemplo, quod nuperimè hoc eodem anno contigit in hac vrbē. Quidam ex lusu aleæ actus in rabiem, in imaginem Virginis coniecerat pileum. Hic, cum fortè nostrum concionatorem audiret, qui hoc anno in ea vrbis regione missionibus, ut aiunt, vacabat; religione tactus ad confessorem accessit, crimen etiam sponte aperuit Inquisitori, detestatus est solutus est. Non multò post in prioris vitæ relapsus crimina, hoc anno septimo die Septembri, in priuigilio Natiuitatis Mariæ repertus est mortuus, triginta & amplius confossum vulneribus, amputata etiam dextera tanti sceleris rea, iecti in Deiparam pilei administra. Præstitere hostes, quod præstare debuerat carnifex: neque unquam rescripsi potuere homicidæ, impunitate iis data, fortasse in præmium, quod vltores extiterunt Mariæ. In hoc planè ad litteram impletum est illud ex Mariæ persona Pro.8. qui oderunt me, diligunt mortem.

Similes exitus sortiuntur, qui sodalitia B. Virginis, quibus antea nomen dederunt, deserunt. Quorum non paucos experientia didici occisos infeliciter mori; alios in miserabiles ærumnas incidere, in pœnam desertæ matris. Cuius derelictio sicut reprobationis est signum, ita patrocinium prædestinationis. Ideo nos cum Damasceno orat. de dorm. in *Dei genitrice animas nostras tanquam ad firmissimam anchoram alligantes, mentem, corpus, totos nos denique illi dicamus, & consecramus.* Hæc de signo prædestinationis, aut reprobationis ex deuotione, aut indeuotione in Mariam. In cuius hæc dicta sint laudem, ut ego quoque in summa mea spirituali egestate, veluti illa vidua Euangelica, mittam duo minuta in gazophilacium: cùm Maria, ut ait Damianus serm.45. gazophilacium sit thesauri, quo sumus de nefarii prædonis seruitio comparati. Atque hæc etiam vniuersim de signis prædestinationis, & reprobationis. Quippe in hoc veluti zodiaco, inter hæc duodecim signa, solem unusquisque poterit suæ prædestinationis agnoscere.

FINIS TRACTATVS PRIMI.

11